

Motum re-  
ctum, & cir-  
cularem non  
posse inter se  
comparari.  
Obiectio.  
Præoccupatio.

Dilat. obi.

Multū & pau-  
cum non esse  
vniuoca.

ter se aptè comparari. Quis enim aut stylum vino acutiorem, aut vinum sonò acutius di-  
cat? Hinc colligit non posse motum rectum & circularem, quoad tarditatem & velocitatem  
inter se conferri; ac multo etiam minus lationem & alterationem; cum eorum tarditas &  
celeritas alia atque alia ratione dicantur.

e An primum quidem } Obiecit contra id, quod proximè asseruerat, quæ non sunt equi-  
uoca posse inter se comparari. Nam multum respectu aeris, & aque, vniuocum est, nec tamen  
aerem cum aqua multitudine comparamus. Quod si quis neget multum eadem ratione aeris  
& aque conuenire. Occurrit saltem duplum vniuocè eis competere, cum in vtroque duplum  
sit duorum ad vnum proportio, & ut se habet duplum aeris ad suum dimidium, ita & duplum  
aque ad suum.

f An & in his } Persistit nihilominus in regula tradita, aiens omnia, quæ equiuoca non  
sunt, collatione in-  
ter se iure posse.

Nec exempla illa  
petita à multo, & à  
proportione dupli-  
quicquam obstare.

Non enim hæc in  
aere, & aqua eandè  
obtinèt rationem,  
sed diuersam: quo-  
niam multum dici-  
tur continens tan-  
tum & ultra, atque  
ita aer ratione mo-  
lis dicitur multas  
respectu aque, qua-  
tenus in maiori quã  
titate parum habet  
materiæ: Aqua verò  
contrà comparatio-  
ne aeris multa dici-  
tur, quia in mole ex-  
igua plus materiæ  
cohibet. Vnde etiã  
fit vt eorum propor-  
tiones secundū quã  
titate prædicto mo-  
do sumptã non eadè  
ratione se ha-  
beant: sicuti nec æqua-  
litas, aut vnitas, seu  
conuenientia in mul-  
titudine. Aduertit au-  
tem Commentator

hæc non pura quiuoca esse, sed ambigua, in quæ tamè propria comparatio non cadat.

g Nam cur comparari alia possunt } Stabilire conatur quod paulò ante dixerat, multum  
& duplum non esse vniuoca, rogans cur si vniuoca sint non aptè aerem cum aqua, sed aerem  
cum aere, vel aquam cum aqua comparemus? Quod si quis respondeat diuersitatis causam  
esse, quia quedam habent idem receptaculum, vt albedo canis, & equi, quæ in superficie reci-  
piuntur, vnde fit vt aptè in comparationem veniant. Alia verò non habent, vt vox & aqua,  
ob idque conferri inter se non possunt; similiterque multum & duplum non sortiri in a-  
qua & in aere eadem recipientia, quæ tamen sortuntur in hac aqua, & illa inter se  
collatis, itemque in hoc & illo aere, & ideo has duas posteriores coniugationes re-  
ctè comparari, non autem aeris, & aque. Hanc responsionem confutat. Primum quia  
si ita sit licebit dicere quæuis equiuoca in vnam conuenire naturam, sed ob re-  
cipientis

d At si comparari possunt, rectè circulo equalè esse id quod **Text. 24.**

modo dictū est, cōsequitur, sed cōparari nō possūt, quare nec  
motus. Verū cōparari possunt omnia, quæ nō sunt equiuoca, vt  
cōferri cur nō liceat, quod nā acutius, sit stylus, vinū, an nete?

Quod enī sint equiuoca nō cōferuntur. Nete autē, & quæ illi  
proxima est cōferri possūt, quod acutū in vtrāq; significationē  
habeat eandē. An igitur velox hic & ibi, idem non est? Multo  
vero etiã ming in alteratione & latione.

e An primū quidē hoc **Text. 25.**

verū non est, si equiuoca nō sint, cōferri posse. Nā multū idē  
significat tam in aere, quã in aqua, quæ cōparari non possunt.

Quod si nō sit duplū certe est idē (duo enim ad vnū) nec tamē  
possunt cōferri. f An & in his eadē est ratio, cū & ipsū multū

equiuocū sit, sed nō nullorū rationes quoque equiuocæ. Vt si **Text. 26.**

quispiã dicat multū id esse, quod est tantū et ultra, tantū equi-  
uocū est, atque etiã equalè: præterea & vnū fortasse illico est

equiuocū. Quod si hoc, etiã duo. g Nā cur cōparari alia possūt, **Text. 27.**

alia nō possūt, si est vna natura? An quia in alio primo sunt re-  
ceptaculo? Equus igitur & canis vter albior sit cōferri possūt,

cū id, in quo primo, sit idem, videlicet superficies. Et de magni-  
tudine eodem modo. At vox & aqua conferri non possunt, in

alio enim. An hoc modo licebit vnū omnia facere, vnūquodque **Text. 28.**

autē in alio esse dicere, idēque erit equalè, & dulce et albū, sed  
in alio. Præterea & receptaculū nō quoduis est, sed vnū vnus **Text. 29.**

primū. Nō igitur quæ cōparantur nō solū nō equiuoca esse est  
neesse, sed neque id quod, neque id in quo, habere diuersitatem,

vt (exempli gratia) color differentiã habet, non igitur in eo fit  
cōparatio, (veluti colore, vt color est, nō vt aliquis color, vtrū  
magis infectum est) sed in aliquo colore. i Sic

i Sic

cipientis diuersitatem non aptè inter se conferri. Deinde quia non sat est vnum esse primum receptaculum, nisi natura vna sit, quandoquidem omnes rerum interuentium formæ quantumlibet nature distinctione abiungantur, vnum idemque materie commune gremium habent, quæ tamen non omnes inter se collationem subire queunt.

h Non igitur quæ comparantur } Aliam tradit regulam ad dignoscenda ea, quæ inter se comparantur. Videlicet talia esse debere, vt non solum æquiuoca non sint, sed nec specie differant. Itaque non poterunt comparari candor, & nigror quatenus colores, quia nature sunt specie dissidentes; poterunt tamen duo candores, quia sub eadem specie sunt. Adijcit verò, neque id, quod, neque id, in quo, debere esse diuersa, hoc est, non solum colores, verbi gratia, qui inter se conferuntur, sed etiam id, in quo conferuntur, debere eandem specificæ nature communionem vendicare.

i Sic & in motu } Postquam generatim explicuit qualia esse oporteat ea, quæ inter se com-

Text. 30. *i Sic & in motu æque celere illud est, quod equali tempore per æquale est motum. Si igitur in hoc longitudinis aliud quidem alteratum est, aliud delatum, erit ne latiori alteratio hæc æqualis eiusdemque celeritatis? At absurdum est. Causa vero est, quoniam motus species habet: k quare si quæ equali tempore per æqualem longitudinem delata sunt, æqualis sint celeritatis, recta linea & circumferentia erunt æquales. Vtrum igitur causa est, an quia latior genus sit, an quia linea? Nam tempus idem & indiuiduum specie semper est. An simul illa differunt specie? Latior enim habet species, si id, in quo mouetur, habeat. Præterea si id, per quod, vt si pedes, ambulatio: si alæ, volatio. An nõ hoc, sed figuris alia est latior? Quare quæ equali tempore per magnitudinem eandem mouentur æquæ sunt celeritatis. Eadem autem non differens specie, motione quoque specie non differt. Quare hoc considerandum est, quæ nam motionis sit differentia. m Atque hæc oratio id indicat vnũ quiddam genus non esse, ob eamque causam multa latent. Aequiuocationum autem alie multum distant, alie similitudinẽ quãdam habent, alie propinquæ sunt aut genere, aut proportione. Quapropter etsi sunt æquiuocationes non esse tamen videntur. n Quando igitur species diuersa est? vtrum cum eadem in alio, an cum alia in alio? quis item terminus est, aut quo albu & dulce, idem, an aliud esse dijudicabimus? an aliud, quia in alio aliud conspiciatur, an quod omnino non idem?*

o Al-  
rectam lineam, & circumferentiam inter se æquales esse, quod est absurdũ: tũ quia motus circularis, & rectus distinguuntur specie. Querit autem vnde nam hoc specificũ discrimen oriatur; maximè cum eius causa ad tempus, quod vnum, idemque semper est, referri non possit: an ex eo proueniat, quod latior genus sit comprehendens sub se rectum & circularem motũ, vt species diuersas: an quia linea genus est, sub quo recta & circularis, vt species distincte continentur. Tum respondet eam differentiam à linearum diuersitate primò nasci, ita tamen vt in quibusdam motibus ab eo etiam quo fiunt, id est, ab instrumentorum varietate petatur. Quo pacto ambulatio, & volatus, quia hic alis, ille pedum gressu fit, diuersæ sunt species.

l Quare quæ equali } Toties Aristoteles eadem hoc in libro repetit, vt non sine causa extremam ei manum haud quaquam adhibuisse credatur. Hic iterum docet ea, quæ equali tempore eandem, id est non diuersæ speciei conficiunt magnitudinem, quæ celeritate moueri, proindeque in comparationem adduci posse. Siquidem ad conferendos, vel non conferendos inter se motus, eorum secundum speciem convenientiã, & discrimen spectare maximè oportet.

m Atque hæc oratio } Ad collationem non sat esse ait cuiusvis, sed infimæ speciei convenientiam, quia natura generis non est vna, hoc est non tantam habet vnitatem, quantum

Secunda regula.  
Quæ inter se comparantur debere specie conuenire.  
parari debent, nõ id ad institutam de motu disputatione accommodat, vultque motus eisdem specie, qui equali tempore æqualem conficiunt magnitudinem, posse inter se quoad celeritatem conferri, ceteros vero specie differentes non posse. Quare si linea alteretur, eodemque tempore aliquod mobile lineam transeat, nõ dicentur hi motus celeritate æquales, tametsi idem tempus consumant, propterea quod inter se specie discrepant.

k Quare si quæ equali tempore } Nõ Alteratio nõ solum inquit altera rite venit in rito cum latiore nõ comparatõ recte comparatur, nem cũ motu sed nec cõuersio cũ tu ad locum. motu recto; tũ quia admitendum foret

Quæstio.

Solutio quæst.

In collatione motu quid potissimũ standum sit.

Sub genere la-  
tere equivo-  
cationes.

Dubit.

Solut.

comparatio requirit. Sub genere enim nature admodum inter se dissimiles continentur, ut sub animali species hominis, equi, leonis: adeo ut genus æquiuocum habeatur; non tamen proprie equiuocum, quale est quod equiuocum à casu dicitur, vel etiam analogum: sed similitudine quadam ob naturarum inter se discrepantiam.

n Quando igitur species } Dubitationem proponit utrum albedo & nigredo, verbi gratia, censeantur diuerse species, quia in diuersis subiectis insident, ut in niue, & coruo; an quia ipse in se diuersam obtinent naturam nulla habita subiecti ratione. Querit item quis sit terminus, id est, ut D. Thomas interpretatur, que sit definitio speciem declarans. Et quia ea, que sunt idem definitione, simpliciter idem sunt, idcirco quasi controuersiam explicans subiicit eam esse propriam cuiusque rei definitionem, qua discernere valeamus utrum ne id, de quo agitur, idem sit, an aliud, ut albumne, an dulce; an aliud quid: non quia in altero insit, sed quia re vera in se diuersam natu-

ram habeat. Unde perspicua relinquitur vtriusque dubitationis solutio, videlicet specierum distinctionem non subiectorum, sed naturarum in se ipsis dissimilitudine, & discrepantia estimandam esse.

o Altera

tem quo nã pacto } Egit de lationũ cõ-  
paratione: nũc ex-  
plicaturus quonam  
modo alterationes  
inter se conferẽde  
sint, ambigit qui fie-  
ri possit, ut hæc equa-  
les dicantur; cum  
qualitatibus, ad quas  
tendunt, non equa-  
litas, que quantitatũ

Questio.

Responsio.

Tertia regu-  
la.

Dubitatio.

Responsio.

propria est, sed similitudo conueniat. Respondet posse nihilominus alterationes inter se cõparari quoad velocitatem, si circa eandem qualitatem versentur, & tempore equali fiant. Nec mirum cum hæc comparatio non in qualitates per se sumptas, sed in motus qui continui, & quanti sunt, recidat.

p Quare quot alterationis } Ne aliqua deceptio in comparando existat, monet particu-  
latim sumendas esse species alterationum, & lationum, & ad harum internotionem regulam  
trahit, nimirum perpendenda esse mobilia inter se discrimina. Namque eę differunt gene-  
re, quarum mobilia per se & non ex accidente genere distinguuntur: eę specie, vel numero,  
quarum mobilia similiter specie, aut numero sunt diuersa. Quod intellige de mobilibus qua-  
tenus mouentur, seu pro it ad hanc, aut illam formam tendunt. Quo pacto id, quod albescit,  
specie differt ab eo, quod nigrescit, quia albedo, & nigredo sunt species distinctę. Idemque de  
ceteris motibus pro diuersitate formarum, in quibus versantur, pronuntiandum est.

q At si alterationes } Querit vtrum ad comparationem faciendam spectandę sint formę  
ipse, an subiecta, in quibus recipiuntur, ita ut si, verbi gratia, tanta pars huiusce corporis, & alia  
pars alterius eęque magnitudinis eodem tempore incaluerint, earum motus eęque velox cen-  
sendus sit. Respondet, ad vtrumque respiciendum esse, ad formam, & ad subiectum; alia tamen,  
& alia ratione. Ad formam, cum eadem ne alteratio, an diuersa sit, querimus: siquidem ex for-  
marum diuersitate motuum distinctionem arguimus, ut paulo ante traditum fuit. Ad subie-  
ctam vero cum de equalitate, aut inequalitate questio exoritur. eę namque alterationes pa-  
res dici consueuerunt, quibus subiecta secundum equas partes alterantur.

Atqui

o Alteratio autẽ quonã pacto altera alteri eęque est velox? **Text. 32.**  
certe si sanari est alterari, sitq; ut alius celerius, aliustardi,  
aliqui etiã simul sanentur, alteratio erit paris celeritatis: tẽpo-  
re nãq; equali alterati sũt. At quo alterati sũt? eęuale enĩ hic  
non dicitur, sed vt equalitas in quantitate, ita hic similitudo.  
At si eęque velox id, quod per idem equali tempore mutatur.  
Vtrum igitur id, in quo est affectio, an ipsa affectio conferenda  
est? hic sane eandem sanitatem esse, quæ nec magis, nec minus,  
sed similiter inest, licet sumere. At si affectio alia fuerit, quo  
pacto id alteratur, quod albescit, & id quod sanatur, his nihil  
est idem, nec eęuale, nec simile, vt alterationis species hæc fa-  
ciunt, nec vna est, quemadmodum nec latio. p Quare quot alte-  
rationis, quot item lationis species sint, sumendum est. Si igi-  
tur quæ mouentur, quorum per se non ex accidenti motiones  
sunt, specie differunt, motiones quoque different specie: si au-  
tem genere, genere: si numero, numero. q At si alterationes **Text. 33.**  
eęque sint celeres, vtrum ad affectionem eadem ne sit, vel simi-  
lis, respiciendum, an ad id, quod alteratur, vt si huius quidem  
tantum album factum est, illius vero tantum.

At

Text. 3

Atqui & in generatione Quopactio generationes comparande sint explicat. Omisit vero accretiones, & decreciones, quia ex ijs, que hactenus dicta sunt, facile erat de illis iudicare. Sinit autem generationes non per se tantum; sic enim cum momento fiat, veloces, aut tarde esse nequeunt, sed vna cum preuis alterationibus. Sentit ergo eas generationes, & interitus a que veloces dici debere, quibus res eadem specie, equali tempore gignuntur, vel occidunt: celeriores autem vocari, quibus equali diuersum quid oritur, vel interit. Diuersum autem se appellare inquit, propterea quod non suppetunt propria vocabula, quibus

De compara-  
tione genera-  
tionum.

Quo sensu  
generationes  
veloces aut  
tarde vocari  
possint.

Text. 34.

*An ad vtrumque: ac eadem quidem aut alia, si affectio sit eadem: equalis autem, aut inequalis, si illud inaequale. Atqui & in generatione & interitu idem considerandum, quoniam modo aequè velox generatio est. An si tempore equali idem & indiuiduum, vt homo, non autem animal, celerior autem si in equali diuersum? Non enim habemus aliqua duo, in quibus sit diuersitas, vt in quibus est dissimilitudo. Quod si substantia numerus sit maior aut minor, numerus speciei eiusdem erit. Sed id quod commune est nomen non habet. Et vtrumque velut affectionis plus, aut ea, que excidit, magis, quantum, aut maius.*

intelligit diuersum specie, siquidem in ea, que specie differunt, non cadit comparatio, sed diuersum quid, id est absolutius in eadem specie, vt si eodem tempore alicuius infantis membra ad maiorem perfectionem in vtro ducantur, quam alterius.

Quod si substantiam Pythagorici rerum substantias numeros faciebant, in quibus maius & minus inuenitur, dicimus enim quaternarium maiorem binario, binarium minorem quaternario. Horum si dogma probandum esset, maius & minus in substantijs ad designandas species pertinerent, haberemus que vocabula ad notandam diuersitatem eorum, que tardiores, aut celeriores ortum subeunt; videlicet maius, siue plus, & minus, que eandem in numeris vim habent, quam magis & minus in qualitate, maius, & minus in quantitate: ac cum multo secus de numeris iudicandum sit, vocabulorum penuria laboramus.

Numeri Pythagorici essentis.

### Capitis quinti explanatio.

VMa autem id quod mouet Hactenus docuit qui nam motus inter se comparari possent; nunc quo pacto, & quam proportionem comparandi sint explicat. Ac primum de lationibus disserit, in quibus quatuor inueniri ait: id quod mouet, quod mouetur, tempus, & spatium. Nam quod hec duo, nimirum tempus, & spatium, lationi competant in

De motuum  
proportionibus.

### CAP. V.

Text. 35.

*VMa autem id quod mouet aliquid semper moueat, & in aliquo & vsque ad aliquid. In aliquo autem dico quia in tempore: vsque ad aliquid, quoniam per quamquam aliquam longitudinem: quod enim simul semper moueat & mouerit, quantitas quedam est, per quam est motus, & in quanto.*

de suadet, quia vt ex ijs, que in 6. libro tradita sunt, patet, res que mouet, simul mouet, & mouit, quod nec momento, nec in puncto magnitudinis fit, atque adeo ad id, tempus, spatiumque exigitur.

ita sint) Aggreditur ad tradenda aliquot theoremata, quibus rem propositam declarat: duoque hoc loco subijcit, in quibus id quod mouet appellat A. id quod mouetur B. spatium C. tempus D. Est autem primum theoremata huiusmodi. Si A. mouet B. per spatium C. in tempore D.

Primum theoremata circa proportionem motuum.

virtus

virtus equalis A. aut ipsummet A. mouebit dimidium ipsius B. per duplum ipsius C. equali tempore. Secundum theoremata est. Virtus A. seu equalis mouet dimidium ipsius B. per totum spatium C. dimidio temporis D.

c Atque si potentia) Subijcit tertium, quartumque theoremata. Tertium est. Si aliqua virtus tantum pondus definito quodam tempore per certum spatium mouet, eadem virtus idem pondus dimidio temporis per dimidium spatij mouebit. Quartum. Si aliqua virtus tantum pondus mouet certo quodam tempore per definitum spatium; dimidium eius virtutis mouebit dimidium eiusdem ponderis equali tempore per equale spatium. Hoc probat, quia eadem est proportio totius virtutis ad totum pondus reliquis eodem modo se habentibus, que est dimidiata virtutis ad dimidiatum pondus. Igitur per equale spatium tempore equali tota virtus mouebit totum, & dimidiata dimidium.

d At si E. per C.)

Quintum theoremata. Si aliqua virtus tanto tempore per aliquod spatium certum pondus mouet, non necesse est vt eadem virtus duplo maius pondus eodem tempore per dimidium illius spatij moueat; siquidem fieri potest vt eadem virtus pondus duplum nullo modo ciere valeat.

e Si igitur A. & Sextum theoremata. Si dimidium alicuius virtutis certo tempore per aliquod spatium moueat dimidium eius ponderis, quod tota virtus mouet, non oportet vt idem virtutis dimidium, totum moueat pondus aliqua parte illius temporis, aut aliqua parte illius spatij, que eandem ad totum spatium proportionem feruet, quam virtus ad virtutem.

Quod ex eo probatur; quia alioqui posset nauis, quam trahunt multi homines, trahi ab vno eorum per aliquam partem spatij, que obtineret ad totum spatium eadem proportionem, quam illius hominis virtus ad omnium virtutem; si nimirum omnium trahentium virtus, & spatium eadem proportione diuidatur.

f Quapropter Zenonis) Ex ijs, que proximè docuit, conspicuam esse vult solutionem eius argumētū, quo Zenon Protagorę suadere nitebatur granum milij in terram cadentis debere per se sonum efficere, si eum modius cadens efficit, propterea quod eadem sit proportio inter sonum graui, & sonum modi, que est inter modiam, & granum. Negat igitur Aristoteles rationem similitudinis, qui quemadmodum ex eo quod tota aliqua virtus certum pondus vehat aliquo tempore per aliquod spatium, non sequitur partem eius virtutis posse idem pondus per aliquam partem illius spatij vehere, ita neque rectè colligitur si modius milij aerē concitet ad efficiendum sonum, posse granum cōmouere eundem ad sonum edendum.

g Nec

2.theor.

1.

4.

3.theor.

6.theor.

Diluitur Zenonis cauillatio.

Text.

Text.

Text. 36.

Text. 37.

g Nec si per se fuerit } Addit non posse granum separatim sumptum partem illam aeris mouere, quam antea vnâ cum toto mouebat. Cuius rei eam affert causam, quia partes non sunt actu, sed potestate in toto, quasi dicat, vt actu per se non sunt, dum continentur in toto: sed potestate, quia possunt ab illo sciungi, ita dum in ipso continentur, non per se mouent, sed ope aliarum, quia omne coniuncte sese mutuo adiuuant, ita vt quidquid vna mouet ab alia etiam moueatur. Sic demum saepe contingit, vt pondus quod à triginta hominibus vehitur si in partes triginta diuidatur, non possint à singulis partes singulae vehi deficiente com-

muni illo auxilio, quod singuli vniuersis, vniuersi singulis præstabât. Hæc tamē regula non in omnibus absolute vera est, cum liquidò constet posse aliquando eosdem homines separatim deferre pondus totum singulis pro rata portione distributum.

h Si verò sint duo }  
Septimum theore-  
ma. Cum due virtu-  
tes ita sunt affecte,  
vt vnaqueque per se  
aliquod pondus cer-

7. theor.

Text. 38.

h Si vero sint duo, quorum vtrumque per tantum spatium tanto tempore seorsim aliquid moueat, vires quoque coagmētate id, quod ex ponderibus coaluit, per æqualem longitudinem æquali tempore mouebunt. Proportione enim respondet.

Text. 39.

i Numquid igitur & in alteratione atque accretione ita res habet? Aliquid quidem est quod auget, aliquid quod augetur: atque tanto tempore tantum aliud auget, aliud augetur. Et id quod alterat, & quod alteratur. Similiter & aliquid & tantum & tanto tempore magis & minus alteratum est, duplo duplum, & duplum duplo, atque dimidium dimidio, & dimidio dimidium, aut æquali duplum. At si quod alterat, aut auget, tantum tanto tempore alterat aut auget, necesse non est, vt eius dimidium dimidio dimidium augeat: sed nihil fortasse alterabit aut augebit, quemadmodum & in pondere.

to tempore per aliquod spatium moueat; si ambe coniungantur poterunt duo illa pondera in vnum coeuntia simul per æquale spatium eodem tempore mouere, quandoquidem eadem est proportio vnius ad vnum, quæ duorum ad duo.

i Nunquid igitur } Tradit nunc theoremata ad alterationem, & accretionem spectantia. Theoremata  
Reperitisque, quæ in quolibet horum motuum reperiuntur, primum theorema constituit, ad alt. & ac-  
cret pertine-  
tia.  
quod est huiusmodi. Si aliqua virtus tanto tempore augeat, aut alteret, duplo longiori tem-  
pore duplum augebit, vel alterabit. Secundum est. Eadem virtus dimidio temporis augebit, 1.  
alterabitque dimidium. Tertium est. Si aliqua virtus certo tempore tantum alteret, vel auge-  
at, non oportet, vt dimidium eius virtutis eodem tempore dimidium alteret, augeatvè. Fieri 2.  
enim potest, vt dimidium virtutis, nullo modo patientis contumaciam vincat, atque ita nulla 3.  
motio detur.

## FINIS SEPTIMI LIBRI.

LIB. VII. CAP. V. EXPERIMENTATIO.  
**IN OCTAVVM LIB.**

**PHYSICORVM**

**ARISTOTELIS.**

**PROOEMIUM.**



**O**CTAVVS hic liber vt est omnium Physicæ Aufcultationis postremus, ita doctrinam continet admodum accuratam, & Philosopho dignissimam. In eo enim Aristoteles à caducarum & materialium rerum varietate & inconstantia ad Dei contemplationem, cognitionemque ascendit. Porrò vt D. Dionysius capite secundo de mystica Theologia, & septimo capite de diuinis nominibus docet, noster intellectus triplici via à rebus creatis ad Dei notionem prouehitur: nimirum via eminentiæ; negationis, causalitatis. Quam triplicem viam tria, quæ in qualibet creatura conspiciuntur, nobis aperiunt. Creatura enim est ens; ex nihilo; ab alio. Ens designat perfectionem; ac quantum ad hoc, cognoscimus Deum via eminentiæ, dum ei quicquid in rebus eminet, & excellit, dempta omni imperfectionis nota, attribuimus; vt vitam, sapientiam, bonitatem. Ex nihilo, importat defectum, quem dum à natura diuina penitus remouemus, ad notitiam Dei accedere dicimur via negationis. Ab alio, notat causalitatem, secundum quam ex efficientia, alijsque modis causandi Deum cognoscimus. Hac autem tertia via progreditur hoc in libro Aristoteles: siquidem ex motu & ordine causarum subordinatè mouentium ostendit deueniendum esse ad vnam primam causam, primumque motorem Deum, qui omnis mutationis corporeæq; molis expers sit: conaturque ostendere effici ab illo cæli conuersionem, quæ principio careat, nec vllis seculorum ætatibus finem sit habitura.

lege D. De  
 masc. lib. 1. ff.  
 dei orth. c. 4.  
 D. Th. in 1. de  
 35. q. 1. art. 1.  
 Henr. Gand.  
 1. p. sum. art.  
 24. Dur. in 1.  
 d. 3. q. 1.

Tex

Tex

Capitis primi Explanatio.



RTVS a autem ne est; Initio huius capitis vocat Aristoteles in eontro- uersiam utrumne motus ante, retroque eternus sit, & ut vita rebus uiuentibus, sic ipse omnibus natura constantibus, perpetuo conueniat; an potius ceperit aliquando, ac cessare tandem debeat. Non querit autem de caelesti, alioque motu particulatim sumpto, sed de quouis generatim, & indefinitè, ut D. Thomas, Simplicius, Themistius, Pselus, & Auicenna, alijque Arabes interpretantur, excepto Auerroë, cuius sententiam haud dubiè improbarit, qui Aristotelice orationis contextum sedulo expendit. Nulla enim hoc loco caelestis motus fit mentio: sed more suo à communioribus proluens Aristoteles subinde ad caelestem motum accedit, eiusque eternitatem suadere nititur.

Questio de sempiternitate motus.

ARISTOTELIS  
Physicorum.

LIBER OCTAVVS.

CAPVT. I.

Text. 1.

**O**RTVS a autem ne est interdum motus, cum antea non esset, rursus uè ita ne peribit, ut nihil moueatur, an nec ortus est, nec peribit, sed semper fuit & semper erit, hocq; immortale & quietem non habens rebus inest, quasi his omnibus, quae natura constant, uita sit quaedam? Omnes sane, qui de natura aliquid dicunt, motum esse inquit, tum quia mundum faciunt, tum quia omnis de generatione & interitu contemplatio eorum est, quae esse non possunt, nisi sit motus. Sed quotquot infinitos mundos esse aiunt, & ipsorum alios fieri, alios perire, ij sempiternum statuunt motum, quod generationes interitusque eorum cum motu esse necesse sit: quicumque autem vnum, aut non sempiternum; de motu quoque id ponunt, quod rationi est accommodatum. c Si igitur fieri potest, ut aliquando nihil moueatur, dupliciter id accidere necesse est. Aut enim, ut ait Anaxagoras, quandoquidem inquit, cum omnia simul essent, & tempore infinito quiescerent, mentem motu ea cecuisse, atque secreuisse: aut ut Empedocles, vicissim mouere & rursus quiescere: moueri quidem cum aut vnum ex multis facit concordia, aut multa ex vno discordia: quiescere autem temporibus intermedijs, hoc modo inquitens

Text. 2.

Nam cum ipso Aristotele ex professo differemus.

c Si igitur fieri. Esi omnes physici, quos paulo ante retulit, in assertionem motus conspiciant, non cum tamen omnes perpetuum, & immortalè arbitrati sunt. Quia vero hos refellere instituit, docet prius bifariam accidere potuisse, ut motus exordium haberet, vel ut Anaxagoras putauit, qui res omnes post infiniti temporis quiete a mente agitari, mutuoque abiungi incepisse, eaq; secretionem mundum genuit, atq; adornatum tradidit: vel certe ut Empedocli visum est,

bus proluens Aristoteles subinde ad caelestem motum accedit, eiusque eternitatem suadere nititur.

b Omnes sane Consuevit Aristoteles in precipuis salte controuersijs antequam suam statuatur sententiam, quid ab alijs de eadem re traditum sit, in medium afferre. Id hoc loco praestat. Nam quid ceteri physiologi, qui ad naturam congruenter loquuti sunt, de eternitate motus senserint, paucis explicat. Primumque ait eos omnes motum concessisse; tum quia mundum genitum fecere, tum quia tota fere eorum disciplina, & consideratio in ortu & interitu incubuit, quae absque motu praecunte constare nequeunt. Insuper verò eorundem circa mundi unitatem, vel multitudinem diuersa dogmata, de quibus nos in libris de caelo

Omnes, qui ad naturam accommodate locuti sunt, motum concessere.

Dogma Anaxagorae.

Vnum est,



est, qui suis carminibus cecinit, res per definita temporum spatia nunc moueri, nunc quiescere perpetua vicissitudine, ac recurſu hinc illuc, nunc videlicet cogente amicitia, nunc lite distrahete.

Hec igitur Accedit ad inuestigandam propositam controuersiam, siue veritatem, cuius quanta futura sit utilitas primū exponit; tum motus definitionem ex libro 3. huius operis repetit. Deinde premi- tit omne id,

quod mouetur potuisse ante moueri, & id tantummodo motui subijci, quod ad sustinendum motum potestatem habeat, ut tum ex ipsa motus definitione, tum ex vnanimi motuum alium consensu, & singulorum motuum inductione satis liquet.

Prima ratio Aristotelis, p motus eternitate.

Igitur & hec necesse est, Probat nullū fuisse primū motum, sed ante quemcunq; aliū extitisse, ratiocinaturque in hunc modum. Si ex ordium tēporis motus habuisset, vel mouens & mobile, cuius esset ille primus motus, cepisset aliquando, vel fuisset ab eterno; si aliquando cepissent; igitur per aliquem motum; quare iam motus ille, qui antea primus dicebatur, primus non esset. Si autem fuissent ab eterno sequeretur mobile eternum infinitis seculorum ætatibus sine motu iacuisse, quod tum per se absurdum est, tum refelli non difficulter potest. Primū quia nulla assignabitur ratio cur motor nunc potius, quam antea mouerit. Deinde quia si non semper mouisset, utique eum aliquod impedimentū ab huiusmodi motione retardasset: ad huius vero impedimenti amotionem motu aliquo opus esset, quo ad agendum veniret, proindeque iam primū motum alius anteisset, quod omnino repugnat. Itaque fatendum erit motum ex eterno tempore fuisse.

Diuersa genera mouentium.

Nam vnico quidē Varia sunt genera mouentium. Quædam mouent naturaliter atq; ad vnū mouendi modū definita sunt, ut calidū, cuius est tantū calefacere; alia mouent a bitrata suo, & ex delectu, quæ contrarias edūt motiones, videlicet ea, quæ scientia, & arte pollēt. De hisce poste-

Nam quæ de multis vnum consuevit oriri

Et plura ex vno rursum constantur eodem,

Hæc sunt, æuūque ipsis mutabile fertur.

Verum quæ solitum seruant mutata tenorem

Hæc sic immota æternum voluuntur in orbem

Quod enim ait, verum quæ mutata, hinc illuc dicere ipsū putandū est. Hæc igitur quonā modo se habēt cōsideranda sūt.

Nā veritatē perspicere conducibile est non ad eam solum, quæ est de natura, contemplationē, sed ad eam quoque doctrinam, quæ de principio est primo. Ex his autem ordiamur quæ antea in physicis à nobis sunt definita. Motum itaque rei mobilis, quatenus est mobilis, actum esse affirmamus. Quamobrem res esse, quæ vnoquoque motu possint moueri necesse est. Atq; etiā præter motus definitionem nemo necessariū esse nō fatebitur id moueri, quod singulis motibus potest moueri: ceu alterari id quod est alterabile, ferri quod loco potest mutari. Quare necesse est, ut antea vtile sit quā vratur, & vrendi vim habeat antequam vratur. Igitur hæc necesse est, aut, si nō erant, facta esse, aut esse sempiterna. Ac vnumquodque quidem mobile, & quod mouēdi vim habet, si factum est, necesse est ante motū, qui sumptus est, aliam mutationē motumque fuisse: quo illud est ortum, quod aut moueri, aut mouere potest. At si cum motus non esset, semper fuerunt, absurdum quidē etiā, si per se animaduertatur, videtur: magis tamē, si vltius proficiſcamur, euenire hoc necesse est. Nam si quædā sunt, quæ moueri, alia quæ mouere possunt, atq; interdum erit quidpiā primum mouens, & aliud quod moueatur, interdū nihil, hoc prius mutari necesse est. Erat enim aliquid causa profecto quietis, cum motus priuatio quies sit. Quare ante primam mutationem prior erit mutatio. Nā vnico quidem modo aliqua mouent, quædā contrarijs motibus, ut ignis calefacit, sed non frigefacit. At scientia vna esse contrariorū videtur: sed & ibi simile quiddam apparet. Frigidum enim quando quodāmodo cōuersum est & remotū, calefacit, sicut & sciens sua sponte peccat, cū scientia contra quam debeat, vitur. Verū quæcūq; aut facere & mouere, aut pati & moueri possunt, non omnino hoc possunt, sed si sic afficiantur, & ad se vicissim accedant.

Quare

Text. 3.

Text. 4.

Text. 5.

Text. 6.

Text. 7.

Text. 8.

Text.

Text.

Text.

Text. 12.

posterioribus mouentibus putaret quis non recte pronuntiatum oportere illis adimi causam quietis, inotusque impedimentum remoueri, cum sponte sua motum, & quietem in eam Occurrit Aristoteles & hæc eadem illa communi lege teneri, ita ut absque præuente mutatione a quiete ad motum non transeant. Semper enim motu aliquo extrinsecus iniecto, aut accessu mobilis, aut alia re simili ad faciendum motum pelliciantur. Monet quoque ipsa etiam agentia naturalia, quibus natura unum agendi modum tribuit, motus, etsi minus proprie contrarios, vicissim exerceat. Nam calor, qui sua præsentia calefacit, per absentiam ex accidente refrigerat; sic cui & gubernator, dum adest, causa est salutis; dum abest, causa fit naufragij.

Agentia naturalia ut inotus contrarios exerceant.

**Text. 9.** Quare cum appropinquauerint, idque euenerit, ut hoc moueri, illud mouere possit, aliud mouebit, aliud mouebitur. Si igitur non sepe mouebatur, manifestum est non ita se habuisse, ut moueri alterum posset, alterum mouere, sed alterum ipsorum mutari oportebat. In his enim, quæ sunt ad aliquid accidere id necesse est, ut si duplum non erat, & duplum nunc factum est, si non utrumque alterum mutatum sit necesse est. Prima itaque mutatione prior aliqua erit. g. Ad hæc quoniam modo prius & posterius erunt, si tempus non sit, aut tempus, si non sit motus. Quod si tempus numerus est motus, aut motus quidam, si tempus est semper & motum seipiternum esse necesse est. h. At de tempore uniuersi, præter unum, eiusdem sententia videntur. Ingenitum enim inquit, ob eamque causam Democritus fieri non posse, ut omnia genita sint demonstrat: siquidem tempus ingenitum est, Plato autem solus ipsum generat. Nam una cum celo genitum ait, celum autem esse genitum. Nam si absque momento nec esse, nec intelligi potest tempus, momentum autem medietas est quedam principium & finem simul continens, principium quidem temporis futuri, finem vero præteriti, tempus semper sit necesse est. Nam temporis postremo accepti, extremum in aliquo erit momento, cum temporis ipsius præter momentum nihil accipere liceat. Quare cum principium & finis momentum sit, necesse est ad utramque eius partem tempus esse. At vero si tempus, manifestum est etiam motum necessario esse, siquidem tempus ipsius motus affectio est quedam. & Eadem autem ratio eius est quod est motum non interiturum. Nam ut ex motus generatione priorem aliquam prima mutatione esse efficiebatur, sic hoc in loco posteriorem aliquam postrema. Non enim moueri simul & esse mobile desinit, aut vri & posse vri, cum vstile esse possit & non vri. Nec mouere posse & mouere simul desinit. Et quod interire potest, interisse cum interit oportebit: & post hoc rursus id, quod huius interimendi vim habet. Interitus enim mutatio quedam est.

tum, inquit uel fuisse ita tuadet. In quolibet tempore licet sumere momentum, quod unum præ se habemus; sed momentum est confinium utriusque temporis, terminus præteriti & initium futuri; ergo ante quodlibet momentum tempus fuit, & post quodlibet erit tempus; sicque tempus ante, & retro infinitum est. Hinc concludit Aristoteles etiam motum æternum esse oportere, cum tempus sit numerus motus, ut constat ex ijs, quæ in quarto huius operis libro tradita sunt.

k. Eadem autem ratio est. Ostendit immortalem fore motum. Nam quemadmodum si is genitus foret, necesse erat aliquem motum primo priore exhibere; ita si occidat, aliquem posteriorem extremo dare oportebit. Non enim motu interente mobile simul interibit, sed permanebit, ac simul id quod motum efficere potest, esto mouere desinat, adhuc perseverabit. Quare rursus momentis & mobilis concursus dabitur, & hoc ab illo motu excipiet, cum in utroque potestas cõseruetur, in uno ad agendum; in altero ad patiendum.

g. Ad hæc quoniam modo

Pergit instantum confirmare ratione alia ab eo quod prius, & posterius dicitur, supra. Prius & posterius inquit absque tempore dari nequeunt, ut pote quæ temporis partes, seu differentie sint, ergo si motus exordium habuit, cum prius non esset, antequam ille esse inciperet, tempus iam erat: atqui sine motu tempus non est; quando quidem tempus definitur numerus motus: igitur antequam motus esset, iam erat motus: quod repugnat. Quare fatendum potius erit tempus, & motum seipiterna esse.

2. ratio

Sine motu non esse tempus.

h. At de tempore

Temporis æternitatem comprobatur testimonio aliorum philosophorum. Omnes enim tempus semper fuisse tradiderunt, excepto Platone, qui illud cum mundo genitum in Timæo docuit.

Plato tempus cum mundo genuit.

i. Item si absque momento

Rursus nullum tempori ortum

3. ratio

4. ratio

## Capitis secundi Explanatio.

**Q**UOD a si hæc Exijs, quæ hætenus disputauit, concludit fictitium esse, ac fabule simile affirmare motus initium fuisse, aut finem vllum futurum. Deinde quia non sat erat suam de eternitate motus confirmare sententiam, nisi etiam aliorum philosophorum placita sibi aduersa refelleret; id in hoc capite facere aggreditur, in quo Anaxagoram & Empedoclem motus eternitatem negantes insectatur. **Carpit Empedoclem.** qui cum diceret litem & amicitiam necessario vicissim res mouere, ac per quedam tempora interualla motionem, quietemque interijci; tamen huius rei nullam aliam afferebat causam, quam quod ita oporteret fieri; sic rei natura postularer. Atque hoc ipsum ait fortasse dicturum Anaxagoram, qui vnum motus principium induxit, si quis ab eo seiscitaretur cur mens nihil operis ab eternitate molita est, nec Chaos nisi certo tempore mouit, rerumque secretionem effecit. Hos igitur ideo reprehendit, quod ad rerum naturam confugerint, quasi natura, quæ maximè est ordinis studiosa, sine ordine & ratione quicquam aggrediantur.

portu interualla motionem, quietemque interijci; tamen huius rei nullam aliam afferebat causam, quam quod ita oporteret fieri; sic rei natura postularer. Atque hoc ipsum ait fortasse dicturum Anaxagoram, qui vnum motus principium induxit, si quis ab eo seiscitaretur cur mens nihil operis ab eternitate molita est, nec Chaos nisi certo tempore mouit, rerumque secretionem effecit.

Natura maxime amica ordinis.

Hos igitur ideo reprehendit, quod ad rerum naturam confugerint, quasi natura, quæ maximè est ordinis studiosa, sine ordine & ratione quicquam aggrediantur.

b Infiniti autem Alienum esse ab ordine, quem natura amat, ut res infinito tempore immotè iacuerint, deinde moueri ceperint, ex eo probat, quia ibi duntaxat ordo constat, ubi ratio, & proportio inuenitur; at infiniti ad infinitam nulla est proportio. Subijcit deinde ea, quæ à natura sunt, duplicia esse. Nam quedam semper eodem modo se habent, ut ignis latio in superum locum; leonis à leone productio: alia verò non item, sed euariant; ut patet in viuentibus, quæ non semper inerescunt, sed interdum imminuuntur, idque non sine causa, & instituto nature. Quare cum res infinito tempore quieuisse, postea verò fuisse motas, ad nullum horum modorum pertineat, satis liquet dogma hoc à nature legibus abhorrere.

Vbi ratio & proportio, ibi ordo.

taxat ordo constat, ubi ratio, & proportio inuenitur; at infiniti ad infinitam nulla est proportio. Subijcit deinde ea, quæ à natura sunt, duplicia esse. Nam quedam semper eodem modo se habent, ut ignis latio in superum locum; leonis à leone productio: alia verò non item, sed euariant; ut patet in viuentibus, quæ non semper inerescunt, sed interdum imminuuntur, idque non sine causa, & instituto nature. Quare cum res infinito tempore quieuisse, postea verò fuisse motas, ad nullum horum modorum pertineat, satis liquet dogma hoc à nature legibus abhorrere.

Empedocle rectius philosophatū, quam Anaxagorā.

c Quocirca Rectius philosophatum inquit Empedoclem: quæ Anaxagorā, hic enim posita ante omnem motum infinita quiete, nature ordinem demolitus est: ille dum vices illas mouendi, quiescendique statuit, aliquem ordinem adhibuit; quanquam in eo etiam peccauit, quod nullam tam insignis alternationis causam reddidit: cum minimè deceat indagatorem inspectoremque nature quicquam absque experientia vel demonstratione ratione vel aliqua pronuntiare.

Preoccupatio.

d Nam ea quæ posita Diceret quis Empedoclem vicissitudinis illius causam attulisse, videlicet concordiam, & discordiam. Occurrit Aristoteles huiusmodi causam veram & idoneam haud

## CAP. II.

**Q**UOD a si hæc esse non possunt, patet motum semper eternum esse, & non aliquando esse, aliquando non esse. Etenim ita dicere figmento simile potius est.

Similiter dicere sic natura esse comparatum, hoc esse principium debere existimari; quod quidem Empedocles videtur dixisse, rebus videlicet ex necessitate conuenire, ut concordia & discordia vicissim vincant & moueant, tempore autem intermedio quiescant. Fortasse vero & qui vnum faciunt principium, ut Anaxagoras, hoc modo assererent. Atqui in his, quæ natura & secundum naturam constant nihil est inordinatum, cum natura ordinis omnium sit causa. b Infiniti autem ad infinitum nulla est ratio, ordo vero omnis ratio est. At vero tempore infinito quiescere, deinde aliquando moueri, huiusque nullam haberi differentiam, cur videlicet nunc magis quam prius, nullum item esse ordinem, nature ipsius opus non est. Nam quod natura est, aut simpliciter sese habet necessario, & non interdum quidem hoc modo, interdum alio, veluti ignis sursum effertur natura, & non interdum fertur, interdum non fertur, aut rationem habet, quod simplex non est. c Quocirca præstat rem ita habere, ut Empedocles, etsi quispiam alius id dixit videlicet vicissim quiescere & moueri: ordinem enim quiddam id habet. Verum & qui id dicit non solum enuntiare id debet, sed eius quoque causam reddere, & nihil ponere, nec vllam sententiam proferre sine ratione, sed aut inductionem, aut demonstrationem afferre.

d Nam ea quæ posita sunt cause non sunt, nec concordie aut discordie essentia, hæc est, sed illius quidem munus est congregare, huius diuidere.

Quod

Text

Text

haudquaquam esse. Licet enim, ut in Reipublice partibus videre est, concordia res aggregentur, discordia dividantur; non tamen concordie, & discordie ratio, siue essentia in eo consistat, ut alternis vicibus moueant & equalibus temporum spatijs hæc regno cedat, illa succedat.

c. Omnino autem Empedocles suam positionem eternitatis nomine tuebatur, nullam aliam reddens causam perpetue illius visitudinis, quam quod ita ab æterno fuisset, proindeque rata lege ita euenire oporteret, quia eterna causam non habent. Hoc ut parum philosophice dictum inculcat Aristoteles, simulque reprehensionis aculeos infigit Democrito, qui similiter physicarum rerum causas eternitati ascribat aicns nullam aliam rationem ulterius

Quod si id quod est vicissim assignet, in quibus etiam id fiat dicendum est veluti aliquid esse quod homines congregat videlicet amicitiam, inimicos autem vicissim se fugere. Hoc enim & ipso vniuerso ponit, quod & in quibusdam videtur. Id vero quod est per equalia temporum interualla ratione etiam aliqua indiget. e. Omnino autem equum non est existimare hoc principium semper ita esse aut fieri sufficere, ad quod naturales causas Democritus reducit, quod sic ante quoque factum sit, principio, cur semper, non quesito, quod in quibusdam recte tradidit, in omnibus non recte. Nam & triangulus duobus rectis equalibus semper habet, sed tamen huius eternitatis alia est causa. At vero principiorum, cum sint sempiterna, alia causa non est. Tot igitur de hoc dicta sine nullum videlicet fuisse tempus, aut fore, cum motus aut non esset, aut non erit. f. Que autem hisce contraria sunt non est difficile dissoluere. Videri vero considerantibus ex his potissimum possit motum aliquando ortum esse, cum ante omnino non fuisset. At primam quidem quia nulla est sempiterna mutatio, cum mutatio omnis suapte natura ex aliquo sit in aliquod, ut necesse sit omnis mutationis finem, ea esse contraria, in quibus sit, nihilque infinite moueri. g. Deinde videmus id posse moueri, quod nec mouetur, nec vllum in se motum habet, ut inanimata, quorum pars nulla, nec item totum cum moueatur, sed quiescat, aliquando mouentur. At conueniebat aut semper moueri, aut nunquam, siquidem motus cum non est, non gignitur. h. Longe autem magis in animatis hoc licet perspicere. Cum enim nullus in nobis interdum motus sit, sed quietem agamus, tamen mouemur aliquando & sit in nobis interdum ex nobis ipsis principium motus, etiam si nihil extrinsecus mouerit. Hoc enim in expertibus anime non equè conspiciamus, sed aliquid quod extra est, ea semper motu ciet. At animal se mouere dicimus quare si aliquando omnino quiescat in immobilia à se ipso motus fiet, & non ab eo, quod extra sit.

Text. 16.

Text. 17.

Quod est clausa terminis, cum inter duo extrema contraria versetur; ergo nulla perpetua est, & ex consequenti nullus motus est sempiternus.

g. Deinde videmus. Secunda ratio est. Aliquid mouetur, quod antea quiescebat, ut cum lapis, aut aer motum in it. Ergo idem & in toto vniuerso potuit contingere, videlicet ut inciperet in illo esse motus, qui antea non erat. Nam si motus inchoari in aliquo non posset, sequeretur que mouentur, perpetuo agitari, & que quiescunt, semper quiescere. Quod veritati aperte repugnat.

h. Longe autem. Tertia ratio est, quod in animantibus fieri conspiciamus, præsertim in homine, qui quandam totius vniuersi imaginem in se continet, vnde & paruos mundus appellatur,

Ratio eorum die, &amp; discordie.

Coarguit Democritum.

Quædam ex eternis habere causam.

Alia non habere.

Prima ratio contra motus eternitatem.

2. ratio.

3. ratio.

**Homo par-** pellatur, id ipsum videtur fieri potuisse in mundo magno, & in natura vniuersa; atqui animo  
**tas mundus.** mantes non inquam absque vno externo auctore nulloque alio motu, quo incitentur, pre-  
 eant moueri incipient; ergo & in tota natura ante eius motum potuit infinita quies pre-  
 cedere.

**Responſio ad** **1. rat.** **1.1.** **1.2.** **1.3.** **1.4.** **1.5.** **1.6.** **1.7.** **1.8.** **1.9.** **1.10.** **1.11.** **1.12.** **1.13.** **1.14.** **1.15.** **1.16.** **1.17.** **1.18.** **1.19.** **1.20.** **1.21.** **1.22.** **1.23.** **1.24.** **1.25.** **1.26.** **1.27.** **1.28.** **1.29.** **1.30.** **1.31.** **1.32.** **1.33.** **1.34.** **1.35.** **1.36.** **1.37.** **1.38.** **1.39.** **1.40.** **1.41.** **1.42.** **1.43.** **1.44.** **1.45.** **1.46.** **1.47.** **1.48.** **1.49.** **1.50.** **1.51.** **1.52.** **1.53.** **1.54.** **1.55.** **1.56.** **1.57.** **1.58.** **1.59.** **1.60.** **1.61.** **1.62.** **1.63.** **1.64.** **1.65.** **1.66.** **1.67.** **1.68.** **1.69.** **1.70.** **1.71.** **1.72.** **1.73.** **1.74.** **1.75.** **1.76.** **1.77.** **1.78.** **1.79.** **1.80.** **1.81.** **1.82.** **1.83.** **1.84.** **1.85.** **1.86.** **1.87.** **1.88.** **1.89.** **1.90.** **1.91.** **1.92.** **1.93.** **1.94.** **1.95.** **1.96.** **1.97.** **1.98.** **1.99.** **1.100.**  
 Atque horum quidem Diluit superiora argumenta. Et ad primum quidem respondet,  
 ex motibus, qui inter contraria versantur, non posse vnum, eundemque singularem motum  
 perpetuum esse, cum extremis contrarijs claudatur; sicuti neque instrumento musico vnus  
 chordæ idem sonus est, qui primo, & qui secundo ictu redditur. Item quidquid de ceteris  
 motibus pronuntiandum sit, nihil obstare quominus conuersio immortalis corpori con-  
 ueniens infinitis seculis eadem absque intermissione duret: siquidem hæc non ea contra-  
 riorum repugnantia, que perennitatem inhibet, continetur.

**Ad 2.** **1.1.** **1.2.** **1.3.** **1.4.** **1.5.** **1.6.** **1.7.** **1.8.** **1.9.** **1.10.** **1.11.** **1.12.** **1.13.** **1.14.** **1.15.** **1.16.** **1.17.** **1.18.** **1.19.** **1.20.** **1.21.** **1.22.** **1.23.** **1.24.** **1.25.** **1.26.** **1.27.** **1.28.** **1.29.** **1.30.** **1.31.** **1.32.** **1.33.** **1.34.** **1.35.** **1.36.** **1.37.** **1.38.** **1.39.** **1.40.** **1.41.** **1.42.** **1.43.** **1.44.** **1.45.** **1.46.** **1.47.** **1.48.** **1.49.** **1.50.** **1.51.** **1.52.** **1.53.** **1.54.** **1.55.** **1.56.** **1.57.** **1.58.** **1.59.** **1.60.** **1.61.** **1.62.** **1.63.** **1.64.** **1.65.** **1.66.** **1.67.** **1.68.** **1.69.** **1.70.** **1.71.** **1.72.** **1.73.** **1.74.** **1.75.** **1.76.** **1.77.** **1.78.** **1.79.** **1.80.** **1.81.** **1.82.** **1.83.** **1.84.** **1.85.** **1.86.** **1.87.** **1.88.** **1.89.** **1.90.** **1.91.** **1.92.** **1.93.** **1.94.** **1.95.** **1.96.** **1.97.** **1.98.** **1.99.** **1.100.**  
 Moueri autem? Solut secundam argu-  
 mentum, conce-  
 dens aliquid moue-  
 ri, quod antea non  
 mouebatur. Nam  
 quod externum ha-  
 bet motorem, nihil  
 mirum si eo præ-  
 sente cieatur, absen-  
 te quiescat. Itaque  
 vult quoties denuo  
 res inanimata mo-  
 ueri incipit, eam  
 motum necessariò  
 antecedere alium,  
 quo mouens afñcia  
 erit, & hunc alium,  
 sicque in infinitum  
 ab q. termino. Ad  
 tertium vero respò-  
 det in primis conspici-  
 tum esse quos-  
 dam motus animam  
 tibus extrinsecus ad-  
 uenire, nimirum al-  
 terationes, que à cir-  
 cūfuso corpore aut  
 aliunde inferuntur,  
 vt refrigeratio, &  
 humectatio. Dein-  
 de ait ipsum etiam  
 motum, quo ab vno  
 loco ad alium mi-  
 grant, externam causam  
 plerumque habere,  
 qua videlicet mens,  
 aut appetitus ad eum  
 motum elendum impellitur. Id quod exemplo animalium dormientium ostendit, que cum  
 aliquando nullo antecedente motu à somno excitari videantur, reuera tamen eam excitatio-  
 nem aliquis motus anteuertit, nimirum absumptio, aut depressio vaporum, qui cerebrum oc-  
 cupabant, vel concoctionis absolutio, aut aliud quid, vnde vigilia sequitur. Quin verò etiam  
 nullam externorum sensuum functionem obeant, interioris haudquaquam motu vacant, cum  
 sine respirandi, & nutriendi actu non vivant. Falsum est ergo, quod in argumento assumeba-  
 tur, nimirum animantes interdum lationem inchoare absque alio motu in eis preeunte; cum  
 eorum motum localem saltem nutritio antecedit. Porro quod rationes ab Aristotele propo-  
 sitæ

*Quod si in animali fieri id potest, quid prohibet vt in vni-  
 uerso etiam id fiat? Nā si in paruo sit mundo, in magno etiā  
 fiet, & si in mundo, in infinito quoque, si moueri infinitū pos-  
 sit, ac totum quiescere. Ac horum quidem quod dictum est  
 non eundem semper vnumque numero motum eum esse, qui est  
 ad opposita, recte dicitur. Hoc enim fortasse necessariū est, si  
 fieri nequeat, vt semper vnus idemque motus is sit, qui vnus  
 & eiusdem est mobilis. Dico autē gratia exempli vtrum vnus  
 idemque sonus vnus chordæ sit, que similiter sese habet & mo-  
 uetur, an alius semper, quamquam vtrouis modo res habeat,  
 nihil obstat vnum & eundem aliquem esse quoniam continuus  
 sit & sempiternus. Quod ex his, que sequentur, magis pate-  
 bit. & Moueri autem quidpiam, quod non mouebatur absur-  
 dum non est, si quod extrinsecus mouet, interdum adsit, inter-  
 dum non adsit. Hoc tamen quoniam sit pacto querendum est,  
 idem inquam ab eodem, quod mouere aptum est, nunc moueri.  
 Nam qui id dicit nihil aliud in dubium reuocat, quam propter  
 quid non semper aliæ res quiescant, aliæ moueantur. Maxime  
 verò tertium illud dubitationem habere videbitur, quod existat  
 motus, qui antea non erat, id quod animantibus euenit. Nam  
 prius quiescit, deinde ambulat nullo eorum, que extra sunt, vt  
 videtur, mouente. Hoc autem falsum est. Eorum enim que in  
 animali innata sunt aliquid semper cernimus moueri. Cuius  
 quidem motus causa animal non est, sed continens fortasse.  
 Ipsum autem non omni motu se ciere dicimus, sed eo qui est ad  
 locum Nihil igitur prohibet, imò fortasse est necessarium cō-  
 plures à continenti in corpore fieri motiones, & harum non-  
 nullis mentem aut appetitum moueri: hæc vero totum animal  
 mouere, quale accidit in somnis. Nam cum nullus sensus insit  
 motus, insit tamen aliquis, animalia rursus excitantur. Sed  
 ex his que sequuntur perspicua hæc sient.*

Text. 18.

Text. 19.

Text. 20.

fitæ motus, aut temporis aut vllius rei create eternitatem minimè concludant, in progressu patebit.

Obserua in hoc capite ad textum. 15. præclarum nature elogium, quæ ordinem, rem sanè diuinam, & qua vniuersi pulchritudo magna ex parte continetur, tã opere amat, vt nihil ab 39; eo moliat. In quam sententiam lege quæ scripsit, etiam Aristoteles libro 1. de partibus animalium cap. 1. & in problem. sect. 19. q. 38. Plato in Phedone, D. August. lib. de natura boni cap. 3. & lib. 6. Musicæ cap. 14. & ex professo in libris de ordine.

Vniuersi pulchritudinem ordine maxime cõtineri.

Ad eundem textum. 15. nota Aristotelem non solum concedere enuntiationes sempiternæ veritatis; sed docere etiam dari sempiternam causam, ob quam eiusmodi enuntiationum prædicata subiectis conueniant. Quod non parum habet momenti ad coarguendos eos, qui putant nihil æternum in disciplina Aristotelis causam vindicare: quod annotauit hoc loco D. Thomas.

In doctrina Aristotelis quedam sempiterna habere causam.

## QVAESTIO I.

## QVID CREATIO SIT, ET QVO pacto à conseruatione distinguatur.

## ARTICVLVS I.

## CREATIONEM ESSE ALICVIVS è nihilo productionem.



Creationem hunc in modum Theologi, Philosophique definiunt ex D. Damasceno lib. 1. fidei orth. cap. 8. et lib. 2. c. 2. & D. Augustino 12. de ciuit. Dei. c. 25. Creatio est alicuius è nihilo productio. Sciendũ verò est creationis nomen dupliciter accipi; non nunquã propriè, interdum fusè. Priori modo, vt D. Thomas. 1. p. q. 45. art. 4. edocet, ea tantũ creari censentur, quæ per se coherere possunt, vt Angeli, vt animæ rationis participes, vt corpora cælestia. Etenim cum creatio effectio quædam sit; effectio autem ordinetur ad esse rei; id tantũ dicetur propriè creari, cui propriè conuenit esse; ei autem propriè esse conuenit, quod est subsistens in suo esse, seu quod per se valet consistere. Posteriori autem modo (qui tam ea, quæ propriè, quàm quæ impropriè creari censentur, comprehendit,) etiam alia quædam, præter hæc, creari dicuntur, vt in progressu patebit. Si igitur iuxta priorrem acceptionem creatio spectetur, hic erit propositæ definitionis sensus; creatio est actio, qua quippiam per se subsistens producitur ex nihilo; id est, ita vt nihil eius præcesserit. Sic verò nec materia, nec formæ Physicæ, excepta rationali, creari dicuntur; quia nõ sunt res per se, ac propria vi subsistentes: nec item homo, qui ab alio gignitur;

Definitio creationis.

Creatio bifariã sumitur.

Sensus definitionis.

tur; propterea quod licet is per se cohæreat, & materia, ac forma, ex quib<sup>9</sup> coalescit, nō nisi per creationē existāt; tamē cū totū ipsū emergit, aliqua ei<sup>9</sup> pars antecesserat, nēpe materia initio mūdi à Deo p̄ducta. Si autē creatio posteriori modo sumatur amouēda erit ab ei<sup>9</sup> definitione particula, per se subsistens, sicque censebuntur creari quæcunque nullo præiacente subiecto fiunt, siue per se cohæreant, siue non. Porro quadrifariam, quod ad propositum attinet, dicitur effici quippiam non præiacente subiecto. Primū id, cui nullum substerni subiectum potest, vt Angelus & materia prima. Secundō id, cuius productioni tametsi substerni queat subiectum, sic tamen produci- tur, vt tam subiectum, quàm forma, è quibus per se componitur, ab eodem agente simul efficiātur: quo pacto diceretur creari Socrates, vel Bucephalus, si eorum forma, & materia inter se coniunctæ, eodem puncto temporis producerentur. Tertio id, cuius ortui quantumlibet subiectum præiaceat; ab eo tamen subiecto, neque quoad suum esse, neque quoad productionem dependet; vt forma hominis. Quarto denique id, quod licet à præiacente subiecto, & quoad suum esse, & quoad sui effectiōnem pendeat; subiectum tamen ad id recipiendum naturalem potentiam non habet, sed obedientiariā duntaxat, eamque in ordine tantummodò ad diuinum agens. Hoc verò pacto gratia, cæteraque dona supernaturalia, etsi impro- priè, creari tamen dicuntur; vt est communis Theologorum senten- tia. D. Thomæ in 1. 2. q. 110. art. 2. Scoti. in 4. d. 1. q. 4. Capreoli, & Pa- ludani ibidem q. 1. Gregorij, in 2. d. 1. q. 6. Ferrariensis 4. contra gen- tes, cap. 57. & aliorum. Adieci- mus autem, in ordine tantummodò ad agens diuinum, propter formas artefactorum, quæ licet in materia solam non repugnantiam, siue obedientiariam potentiam nancif- cantur; non eas tamen creari dicimus; propterea quod eiusmodi po- tentia non sit tantum in ordine ad agens diuinum, qua tale; sed in ordine ad quæcunque artificem. Itaque ex dictis ratum esse volu- mus, vt aliquid creari dicatur, sat esse produci non præiacente sub- iecto; aliquo saltem eorum quatuor modorum, quos retulimus, ser- nato tamen discrimine illo inter ea, quæ propriè, & quæ impropiè creari censentur.

ARTICVLVS II.

DILVTIO OBIECTORVM ADVERSVS definitionem creationis.

Obi.

**E**Rit tamen, qui contra superius dicta hunc in modum oppo- nat. Anima rationalis propriè creatur; & tamen non est ens per se subsistens. Igitur non sola per se subsistentia propriè creantur. Maior asserta à nobis fuit proximo articulo, traditurque à D.

Quot modis dicatur ali- quid fieri nul- lo præiacente subiecto.

Gratia etiam creari dicitur, sed im- propriè.

Lege Capr. in 2. d. 1. q. 1. ar. 3.

Argentinatib<sup>9</sup> in 4. d. 1. q. 1. ar. 3. Soti. q. 3. art. 1. Gabr. in 3. d. 1. q. vni.

Lege in 1. d. art. 2. contr. 68. So. Phy. q. 1. p. 90.

à D. Thoma in quaestionibus disputatis, quaestione de spiritualibus creaturis art. 2. ad 8. à Capreolo in 2. d. 1. q. 3. ar. 3. & alijs. Minor probatur, Primū quia quod est in alio non est per se; atque adeo nō per se subsistit: anima rationalis dū actu cōponit hominē est in alio, nempe in corpore. Secundò, quia si anima rationalis dū est in corpore, esset per se subsistēs; propriè ac simpliciter illi attribuerētur idiomata, siue appellationes actionū, saltem earū quæ in ipsā recipiūtur; quod rectè negat D. Thomas 1. p. q. 75. art. 2. aiens esto anima dici possit intelligere; melius tamen dici hominē intelligere per animā.

Item si Deus producat accidens extra omne subiectum, erit propriè creatio ex communi Theologorū sententia; & tamen in eo euentu accidens non dicetur existens per se; cū id eius naturæ repugnet sitque proprium substantiæ. Igitur creatio propriè sumpta etiā ijs, quæ non per se existunt, accommodari potest.

Ad primum horum concessa maiori, neganda est minor, & ad priorem eius confirmationem dicendum id, quod est in aliquo ita ut illi inhæreat, quo pacto accidētia sunt in subiecto; vel ita ut ab eo quoad suum esse dependeat, quomodo formæ materiales sunt in materia; id inquam non posse dici per se subsistere. Verum animam rationalem neutro horum modorum esse in materia; quandoquidem nec more accidentium inhæret; nec quoad suum esse dependet à corpore, cū immortalis sit. Ad posteriorem confirmationem respondendum licet anima sit per se subsistens subsistentia paulò ante explicata, quæ sufficit ut aliquid dicatur propriè creari; tamen quia dum est in corpore est actu pars totius, quod iure dignitatis supposito convenientis omniū actionū appellationes sibi arrogat; inde esse quòd nō tã propriè dicimus animā intelligere, quã hominē intelligere per animā.

Ad secundum concedenda est propositio, ad assumptionem verò dicendum accidens extra subiectum, esse per se existens, non quòd tunc substantialem existentiam acquirat, & à propria natura decidat, cū adhuc suo pte ingenio, & ex vi propria spectatum requirat subiectum, cui inhæreat, & adhuc respectu transcendentis, in quo eius quidditas consistit, ad illud subiectū referatur: sed quia dum ita diuina virtute producit, conseruaturque, est actu independens ab alio, quatenus nec in aliquo, vel sub aliquo, à quo eius esse dependeat actu existit; qui modus existendi per se, sat est ad propriam creationem terminandam. Addidimus, sub aliquo, propter materiā, quæ dum producit productione totius, quod creatur, (quo pacto materia terræ initio mundi producta fuit) nō dicitur propriè creari, quia est sub aliquo nempe sub forma, à qua eius esse dependet.

Observandū tamē erit, inter ea, quæ propriè creatur, gradus quosdam inueniri; quorum primū obtinent substantiæ completæ, ut Angelus; secundū substantiæ incōpletæ, ut animæ rationales; quæ oēs à Deo per creationē efficiuntur, itēq; materia prima si absq; omni forma substantiali, & accidētia si extra omne subiectū diuinitus producantur.

lege D. Tho.  
in 1. d. 8. q. 5.  
art. 2. Ferr. 2.  
contr. gent. c.  
63. Soti 1.  
Phy. 7. 3. Cai.  
1. p. q. 90. ar. 2.

inatis  
d. 1. q. 3.  
Soti. q. 3.  
Gabr. in  
q. 701.

Dilat. 1. obi.  
Subsistentiæ  
animæ ratio-  
nalis in cor-  
pore quomo-  
do se habeat.  
Dilat. 2.  
Qui modus  
existendi per  
se sufficiat ut  
aliquid dici  
possit propriè  
creari.

Diuerfi gra-  
dus eorum;  
quæ propriè  
creantur.



ARTICVLVS III.

CREATIONEM ESSE ACTIONEM  
externam, & transeuntem Dei creantis.

**V**T creationis definitio planior euadat; sciendum controuer-  
siam inter Theologos esse num creatio actiua sit actio aliqua  
externa Dei, quæ re vera dicenda sit transiens non solum pro-  
ductiue, quia habet terminũ externũ, sed etiam subiectiue, quia non  
manet in agẽte, sed transit in rẽ patientẽ, in eaq; recipitur. D. Tho-  
mas 1. p. q. 45. ar. 3. alijsque in locis, M. Albertus in 2. d. 1. art. 6. & de  
quatuor coæuis q. 1. art. 2. Scotus in 2. d. 1. q. 5. Richard. ibidẽ q. 2. &  
3. in pri. princip. Dur. q. 1. Capt. q. 2. ar. 1. alijsque nõ pauci arbitrãtur  
creationẽ actiuaẽ esse actionẽ internã Dei, nempe ipsũ intelligere &  
velle diuinũ cũ habitudine rationis ad creaturã: creationẽ vero pas-  
siuam esse relationem creaturæ, siue creaturã ipsã cum respectu ad  
Deũ vt ad principiũ totius esse. Probatũ autẽ hæc opinio, primũ  
quia cũ Deus solo intellectu, & volũtate, quorũ actio immanẽs est,  
efficaciter agat, superuacanea videtur alia externa actio ad creandũ.  
Deĩde quia, vt est apud Aristotelẽ 3. huius operis li. c. 3. text. 22. om-  
nis actio trãsiẽs est cõiuncta cũ motu, in creatione verò motus nõ da-  
tur; cũ omnis motus supponat subiectũ, in quo insit teste eodẽ Ari-  
stotele 1. huius operis, c. 7. tex. 64. & lib. 5. c. 2. text. 15.  
Verũ licet hæc sententia admodũ probabilis sit; verisimilior tamẽ  
videtur opposita, quæ asserit creationẽ, verã esse Dei actionẽ, ex-  
ternã, & transeuntem, qua rebus creatis esse tribuitur, quãquam ab eis  
re ipsa non distinguatur. Hanc tuetur Gregorius in 2. d. 1. q. 6. Aureo-  
lus apud Capreolũ eodẽ loco q. 2. ar. 2. Aegid. in libro de esse, & esse  
tia. q. 7. & in 2. d. 1. q. 3. Argentinas d. 19. q. 1. art. 1. Ochamus in. 1. d.  
43. q. 1. alijsque cõplures. Primũ quia cũ creatio sit realis quidã in-  
fluxus potentiaẽ diuinæ exequetis, & factio quædã iuxta illud psal.  
148. ipse dixit, & facta sunt, & illud symboli factorem, idest, creato-  
rem cæli & terræ; item verò cum omnis executio, & effectio externã  
actionẽ deposcat; nõ videtur quo pacto creatio actiua sit solũ intel-  
ligere, & velle diuinũ cũ relatione. Deĩde quia ea, quæ sunt relata  
ad Deum, non nisi cum mutatione eius, de quo dicuntur, existunt;  
docente D. Augustino. 5. lib. de Trinit. cap. vltimo. Cũ igitur crea-  
tura ad Deum referatur; non existet sine aliqua mutatione: hæc  
autem mutatio non est alia, quàm creatio; igitur creatio mutatio  
est, atque adeo non est solum velle diuinum cum relatione. Postre-  
mò, relatio, qua creatura Deum, vt causam suam effectricem respicit,  
est realis, (quod omnes pene aduersæ opinionis assertores fatentur,)  
habet ergo aliquam rationem fundandi ex ijs, quas Aristoteles

Cai. 1. p. q. 25.  
Ferr. 2. con. r.  
gẽt. c. 18. B. f.  
sol. in 2. d. 1.  
q. 6. art. 1.  
Proba 10.

Actioem opi-  
nio verisimi-  
lior.

Eius asserto-  
res.

1. ratio.

2. ratio.

3. ratio.

ITAA

XXXX

5. Me

2. lib.  
art. 3.

De eadem  
differit Bac-  
nus in 2. c.  
q. 2. art. 3. B.  
sius d. 1.  
ultima.

3. Metaphys. cap. 15. text. 20. enumerat: sed non aliam habere potest, quā ipsā effectiōnē passiuā, qua creatura producitur: ergo effectio creatiōe passiuā est eius ratio fundandi, ac proinde creatio passiuā non est ipsa relatio creaturæ, seu creatura prout habet ordinem ad Deum: alioqui idem omnino sibi ipsi ratio fundandi esset. Denique relatio creaturæ est quippiam posterius re creata, creatio vero cum sit via ad esse, saltem natura, rem creatam antecedit; non igitur creatio relatio est.

Ad id quod pro contraria parte adducitur, scilicet internam Dei intelligentis & volentis actionem, quæ infinitam habet efficacitatē, per se sufficere ad creandum; respondendum est, sufficere quidem, sed cum actu potentia exequentis, & adhibita externa actione, sine qua Deum quicquam extra se producere, impossibile est: quæadmodum neque cum igni potest Deus concurrere ad calefaciendum absque externa actione, quæ non distinguitur re ipsa à calefactione ignis, ut alibi diximus. Ad testimonium Aristotelis ex 3. huius operis dicendum actionem physicam, de qua inibi agit, cōiunctam esse cum motu; creationem vero non esse actionem physicam; nec item propriè mutationem; cum ea propriè mutatio dicatur, qua subiectum, seu materia ab vno termino, sub quo prius iacuerat, ad alium transit. Quod item opponunt non dari subiectum, in quod externa actio creandi, quam ponimus, recipiatur; haud ita est; potest enim actio, qua, verbi gratia, anima creatur, in ipsammet animam recipi, quæ quidem in genere causæ subiectiua prior natura est, quàm sua productio. Lege Aegidiū in lib. de esse & essentia loco superius citato.

Solutio eorum, quæ pro aduersa parte adducta sunt.

Subiectū, in quo creatio recipitur.

## ARTICVLVS III.

STATVITVR DISCRIMEN INTER  
creationem, & conseruationem.

Sequitur altera propositæ quæstionis pars de discrimine inter creationem, & conseruationem; Qua de re agit D. Thom. q. 104. primæ part. art. 1. & de potent. q. 5. art. 1. Hervæus in tractatu de æternitate mūdi, quæst. 1. Henricus Gandauensis quodlib. 1. q. 7. & quodlib. 9. q. 1. Ferrariensis 3. contra gentes. c. 65. Aureolus apud Capreol. in 2. d. 1. q. 2. art. 2. Aegidius in tractatu de esse, & essentia. q. 7. alijque nonnulli. Sed omissa opinionū cōsuetatione paucis re expediamus. Aduertendū verò est cōseruationē bifariā sumi: vno modo pro actione, qua Deus re creatā per se immediatè cōseruat; altero, pro conseruatione, qua causæ secundæ nonnulla entia à Deo creata, sed tamen ipsarum tutelæ commissa pro sua parte tuentur, ut, verbi gratia, forma materiam: hæc enim sic ab illius actu, perfectiōneque dependet, ut si ab ea omnino destitueretur, nec eius operanti

Conseruatiōnem duobus modis sumi.

Deus nouo, vehementiori que influxu compensaret, in nihilum esse recasura.

1. pronuntiatum.

Hoc posito sit primum pronuntiatum. Conseruatio priori modo sumpta est idem re cum creatione. Probatum; Nam creatio, & huiusmodi conseruatio circa eundem terminum versantur: liquidem esse, quod Deus creando tribuit, identidem conseruando impertit. Quod usque adeo verum est, ut D. Augustinus cap. 12. lib. 4. super Genes. ad literam, dixerit, etiam nunc caelestes orbes creati; videlicet, quia idem esse, quod initio temporis à Deo hauserunt, etiam nunc ab eodem continenter accipiunt.

Etiam nunc  
creari caelos  
D. August.

2. pronuntiatum.

Sit secundum pronuntiatum. Creatio & istiusmodi conseruatio non intrinseco, sed accidentario discrimine inter se dissident. Hoc pronuntiatum inde suadet, quia conseruatio ita sumpta eo tantum differt à creatione, quod illa tendat in esse rei iam praehabitu, siue in esse, quatenus connotat praehabitu sui possessionem; vel, si magis placeat, prout connotat negationem nouitatis: at creatio fertur in esse rei prout è nihilo confertur, absolute sumptum. Haec autem siue negatio, siue ut Aegidius loco citato vocat relatio connotata non intrinsecam, sed accidentariam duntaxat differentiam constituit.

3. pronuntiatum.

Tertium pronuntiatum. Conseruatio posteriori modo sumpta non est idem re cum creatione. Hoc ex eo patet, quia nulla conseruatio potest esse idem re cum creatione praeter eam, qua confertur esse ex nihilo, praehabitu tamen. At nullum agens creatum potest alicui rei esse ex nihilo conferre (intellige ut principale agens, & ut propria: quamquam possit à Deo tanquam instrumentum ultra naturae suae vim ad eiusmodi actionem diuinitus excitari.) Illustratur quoque idem exemplo formae respectu materiae. Nam conseruatio, qua forma materiam conseruat, & eiusdem materiae creatio non possunt inter se re ipsa non distingui. Quod ita probatur. Forma catenus materiam conseruare dicitur, quatenus eam actuat: haec verò actuatio non est aliud, quam modus quidam, quo forma sese in materiam insinuat, seque illi donat, qui modus, uti in 2. libro differuimus, est idem re cum forma: & ex consequenti realiter à materia dissidet, eum alia res sit materia, alia forma. Quo patet conseruationem, qua forma materiam conseruat, distingui re tum à materia, tum à creatione, quae est idem re cum materia creata. Idem quoque exemplo alio patet. Etenim Deus in prima rerum molitione terram creauit; hanc verò cepit mox caelum, uti & nunc facit, suo influxu conseruare: patet verò huiusmodi conseruationem distingui re ipsa à terra (atque adeo ab illius creatione) cum caelum non aliter elementum terrae conseruet, quam beneficas in eo qualitates producendo; quae productio ut est idem re cum ipsis qualitatibus, ita oportet à terrae elemento, quae ab illis re ipsa differt, realiter quoque distingui.

Forma quo  
pacto mate-  
riam conser-  
uet.

Celestia cor-  
pora ut terrā  
conseruent.

QVAE

## QVÆSTIO II.

VTRVM CREATIO NATVRÆ LV-  
mine cognosci potuerit, & an eam  
Aristoteles cognouerit.

## ARTICVLVS I.

POTVISSE NATVRÆ LVGINE COG-  
nosci, ac re ipsa cognitam fuisse.



NON quærimus de creatione rerum initio tē-  
poris exhibita, sed de creatione absolutè sū-  
pta; num videlicet hæc innato rationis lumi-  
ne absque diuino afflatu cognosci quierit.  
Cui dubitationi affirmate respondendum est  
cum D. Thom. in 2. d. 1. q. 1. art. 2. Henrico  
Gandauensi quodlibeto 8. quæst. 6. Alensi 2.  
p. q. 6. art. 6. Scoto quodlib. 7. alijsque com-  
pluribus. Idem etiam magno consensu Patres docent. Atque in pri-  
mis D. Augustinus 11. de ciuitate Dei cap. 4. Exceptis, inquit, pro-  
pheticis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate, & mo-  
bilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo  
tacitus, & factum se esse, & non nisi à Deo fieri potuisse proclamat.  
Idem luculenta oratione ostendit D. Gregorius Nazianzenti oratio-  
ne 2. de Theologia aiens. Quemadmodum ille, qui citharam affabrè  
construendam, & elaboratam conspicit, eiusque concentum audit, ipsū  
citharæ artificem, ac citharæ dum mente reputat, licet sibi de facie ig-  
notum: ita eum, qui mundi harmoniam percipit, mundum à diuino  
conditore, & architecto, quamuis ab eo non videatur, creatum inte-  
telligere. Idem confirmat D. Athanasius in oratione contra idola,  
Throdoretus sermone 2. de prouidentia, D. Dionysius 7. cap. de di-  
uinis nominibus, D. Damascenus 1. lib. de fide orthodox. D. Grego-  
rius Nyssenus lib. de vita Mosis, Origenes lib. 4. contra Celsum, Eu-  
sebius lib. 7. de præparatione Euang. cap. 2. & alij.

Id quoque indicant sacræ paginæ testimonia, vt illud Pauli ad Ro-  
manos. 1. inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, in-  
tellecta cōspiciuntur. Et illud Sapientia 13. à magnitudine speciei, &  
creaturæ poterat creator cognoscibiliter videri.

Præterea suaderi potest hæc assertio ex eo, quia multæ suppetūt  
physicæ

Status quæ-  
stionis.  
Constituitur  
pars affir.

Probatum cō-  
sensu patrū  
Augustin.  
Greg. Naz.

Athanas.  
Dionys.  
Damasc.  
Greg. Nyss.  
Orig.  
Euseb.

Sacræ paginæ  
testimonijs.  
D. Paul.  
Sapient.

Rationibus

1. ratio.

physicæ rationes, quæ palàm ostendant habere Deum potentiam creandi: itemque mundum non à se; sed ab vno aliquo rerum principio & fonte habere esse. E quibus rationibus aliquot hoc loco in medium proferemus. Prima sit. Vt quæque res est, ita agit; sed Deus ita est, vt non aliunde pendeat, nec aliud quid ad suum esse præexigat; ergo similiter in agendo, nec præiacentem materiam, nec quicquam aliud requirit, aut supponet. Poterit igitur quamlibet rem creare, si velit.

2. ratio.

Secunda. Quo causa excellentior est, eo paucioribus eget administriculis ad operandum; sed natura est nobilior, quam ars; & Deus, quam natura. Igitur cum ars supponat rem compositam; natura verò materiam; Deus neutrum horum præexiget, atque adeò poterit res è nihilo producere.

3. ratio.

Tertia. Esse diuinum, in quo diuinæ potentie ratio fundatur, est infinitum, cum non sit ad aliquod genus entis limitatum, sed totius esse rationem omni ex parte completam in se cohibeat; igitur Dei potentia est infinita; atque adeò potest quidquid non implicat contradictionem; hanc autem creatio non implicat, potest ergo Deus aliquid creare.

4. ratio.

Quarta. Cum nihil præter Deum habeat esse omnibus numeris perfectum; sed imperfectioni admistum, & participatum: nulla creatura potest esse à se, ac proinde necessario suum esse mutuabitur à superiori causa, id est, à primo & perfectissimo ente, in quo ipsum esse, vt in primæua origine absolute, & essentialiter inest: oportet igitur res omnes à Deo ortum ducere. Præterea earum rerum nonnullæ, vt intelligentiæ, vt materia prima, vt anima rationalis, nõ nisi per creationem produci possunt; cum nequeant à causis secundis effici, nec fiant è præiacente subiecto, ergo & cæt. Quare potest naturali lumine creatio deprehendi: siquidem hæ rationes, quibus eam dari astruimus, citra diuinam fidem ipso ductu naturalis luminis inuestigari, atque inueniri queunt, vt consideranti planum erit.

Ac sanè quòd eam multi veterum Philosophorum re ipsa cognouerint, & celebrarint constat ex ijs, quæ refert Iustinus Philosophus & martyr in sua parænesi, D. August. 11. de ciuitate Dei, c. 4. & lib. 12. cap. 17. Lactantius lib. 7. cap. 3. Eugubinus 7. de perenni philosophia à capite 3.

## ARTICVLVS II.

## QVOD VERISIMILIVS SIT ARI-

stotelem creationem agnouisse.

**Q**Vod tamen ad Aristotelem attinet, sunt qui creationem ignotam ei omnino fuisse contendunt, asserantque nihil esse à Peripatetica doctrina magis alienum, & abhorrens, quam

existimare potuisse quicquam à Deo è nihilo fieri. Atque hanc fuisse Aristotelis mentem arbitrati sunt Eudemus, & Alexander teste Simplicio ad initium huius operis, Pletho in libro de ijs, quibus Aristoteles à Platone disidet, cap. 1. Auerroes hoc in lib. comm. 4. Simpli-  
cius ad text. 6. in digressionem contra Philoponum. Henricus Gand. quodl. 8. quaest. 9. Bessario lib. 2. contra Calumn. Plat. cap. 6. Gregorius Ariminensis in 2. dist. 1. quaest. 1. Marsilius quaest. 1. art. 2. & alij. Potest autem id imprimis suaderi; quia Aristoteles in 1. huius operis cap. 4. tex. 33. & saepe alibi commendat ac tuetur tritum illud philosophorum axioma è nihilo nihil fit. Item, quia cum de actione differit semper ei subiectum aliquod substernit; vnde 5. Metaphys. c. 12. text. 17. potentiam actiuam definit potentiam transmutandi aliud, hoc est, variè afficiendi subiectum. Et de causa efficiente cum agit, ubique eam definit per motum; qui haud dubie subiectum praecipiens requirit. Denique quia 2. Metaphys. cap. 1. text. 4. ait principia eorum, quae semper sunt, id est materiam, & formam corporum caelestium non habere causam.

Alij tamen contra sentiunt; nimirum Aristotelem creationem cognouisse, non eam, quam vocant cum nouitate essendi, qua scilicet Deus à primis mundi originibus res produxit; sed qua ex aeternitate, ut ipse putabat, vniuersum condidit. In his sunt Auicenna 9. suae Metaphys. c. 4. D. Thomas hoc in libro ad tex. 4. Scotus quodlib. 7. & in 2. sent. dist. 1. quaest. 3. Albertus de quatuor coeuis quaest. 1. art. 1. Hervaeus in tractat. de aeternitate mundi quaest. 4. alijque complures. Ad hanc verò partem, quam verisimiliorem iudicamus astruendam, multa loca ex Aristotele, eaque illustra adduci possunt. In primis namque 2. Rhet. cap. 23. asserit daemones esse opus Dei, & in 2. de generatione cap. 10. tex. 58. ait Deum vniuersum omnibus suis numeris concinnè, & eleganter perfecisse, veram aeternitatem ijs, quae habere illam poterant, impertiendo. Et in 2. Metaphys. cap. 1. text. 4. docet primam causam esse caeteris causam, ut sint. Quo loco probè aduertit D. Thomas Aristotelem Deum non solum motus, sed ipsarum etiam rerum, quae motu ciuntur, causam fecisse. Praeterea eodem lib. cap. 2. probat Aristoteles non dari progressum in infinitum in causis agentibus, sed tandem perueniendum ad vnam omnium rerum effectricem causam, id est, Deum. Rursus. 12. Metaphys. cap. 7. text. 38. ait coelum, & naturam pendere à Deo: & cap. 8. text. 43. Deum absolutè principium, primamque causam vocat. Ex quibus sane locis deduci videtur non latuisse Aristotelem rerum creationem; Deumque efficientem mundi causam esse.

Quae verò pro contraria parte citantur vnam fere, eandemque explanationem habent, nempe loqui inibi Aristotelem non de diuina, sed de nostrate, naturali que actione, quae fit cum transmutatione, & tempore: haec enim ex nihilo nihil efficitur; haec subiectum antea existens deposcit. Vnde Auerroes 1. de coelo cap. 3. text. 20. non dixit, inquit,

Affertores  
paris negati-  
ue.  
Eudemus.  
Alexander.  
Pletho  
Auerroes.  
Henricus.  
Gregorius.

Pars affirmati-  
ua verisimi-  
lior.

Qui eam tu-  
entur.

Loca, quibus  
eam Aristote-  
les statue-  
re videtur.

Metaphysica  
ad initium  
libri 2. cap.  
1. text. 4.

Responso ad  
rationes ad-  
uersariae par-  
tis.

Item Bachel-  
nus in 2. d. 1.  
q. 1. Abulcasis  
ad c. 32. De 1.  
145. q. 3.

Ammonio 1.  
de interpr. c.  
vlt. Cai. ad c.  
3. d. e. & e. s. e.  
na q. 10. Soc.  
12. Metap. q.  
21. & 16. Scali-  
ger Exerc.  
61. in Card.  
1. quaest. 1. art.  
Argent. in 2.  
d. 4. c. Inel-  
lus 12. Metap.  
q. 3.

Chronolog.  
de initio  
mundi.

Ut Porphyrius  
us. In libro  
de generatione  
animalium.  
Averroes. 1.  
de coelo. cap.  
3. text. 20.  
Averroes. 1.  
de coelo. cap.  
3. text. 20.

inquit, Aristoteles, non esse cœlū generabile absolute, sed hoc modo, quem vulgò dicimus, quippe & è contrario, & subiecto præexistente. Porro consuevit Aristoteles potentiaæ actiuæ, & causaæ efficiētis vim more physico explicare, non quod nullam aliam potentiam, causamvè præter physicas esse putarit; cū 9. Metaphys. cap. 1. text. 1. concedat aliam dari potentiam actiuam præter eā, quæ per motum agit; sed quod aliæ ex physicis facile innotescant. Ille verò locus ex cap. 1. lib. 2. Metaphys. aliter est interpretandus, vt sensus sit; Eorum, quæ semper sunt, idest, corporum cœlestium, & intelligentiarum, quæ nunquam intereunt, principia, hoc est, causam efficientem, finem, & exemplar, quod vtique est ipse Deus, non habere causam. Quo nihil verius; itaq; hic locus primæ opinioni magis obest, secundæ nihil omnino officit; quin ei potius suffragatur, cum nihil præter Deum à passiuâ causalitate excipiat.

### Q V Æ S T I O III.

**FVERIT NE MVNDVS EX ÆTERNITATE PROCREATUS, AN NON.**

#### ARTICVLVS I.

**QVID VETERES PHILOSOPHI**  
in proposita quæstione senserint.

Antiquitatis  
consensus de  
noua mundi  
creatione.



**MNES** pene philosophi, qui ante Aristotelis tempora fuere in eam sententiam conspirarunt, vt crederent mundum, sub ea saltem facie, rerum contextu, & absolute, quam nunc habet, non ex æternitate, sed initio temporis constitisse. Ita nimirum sensit Trismegistus, è cuius fontibus vniuersa Græcia bibisse dicitur; ita Musæus, Linus, Epicharmus, Orpheus, Hesiodus, & Homerus, qui res diuinas poeticè scripserūt; ita Anaxagoras, Zoroastes, Melissus, Empedocles, Pherecides, Philolaus, Democritus, & Zareta Chaldæus, quem Pythagoras audiuit, & secutus dicitur, tametsi Tertullianus in Apologetico mundum Pythagoræ ingenitum dicat.

Cæterum quid Plato hac in re senserit, nec apud eius sectatores, nec inter Peripateticos omnino constat. Multi enim idem Platonem & Aristotelē sensisse inquiunt, nec esse inter illos sententiæ, sed verborum dissidium, itaque Platonem sempiternum fecisse mundum. Quod si his obiecias Platonem disertis verbis in Timæo mundi ortū

asserent-

Lege Arist. de cœlo c. 10.  
D. Trismeg. in sto Dio. lib. 1. c. 2. & lib. 2. c. 1. D. Aug. lib. 18. c. 39. Genes. brard. lib. 2. Chrono'og. qui cum minus antiquis facit.

Vt Porphyrius, Iamblichus, Plotinus, Proclus, Apuleius, Alcino, Crantor, Simplicius, Taurus, Bessario.

Quidam Aristotelem cū Platone in hac quæst. conciliare nituntur.

Lege A. lib. de c. Plat. c. 1.

D. Clem. 8. recog. D. Ambr. Hexa c. 1. archus, Sympos. gub. 9. lib. de peren. Phil. Mir. dula 1. d. mine van. 411.

asserentem: respondent Plotinus, & Proclus, (vt Alcinoi, Simplicij & aliorum explicationem omittamus) mundum ob id à Platone genitum dici, quod semper gignatur, fiatque à Deo, ceu lumen à sole. Alij, in quibus sunt Philo Iudæus Platonis simia, Laertius in vita Platonis. Cicero in Tuscul. quæst. Atticus, Seuerus, Plutarchus, Aphrodisæus, & alij mundi æternitatem prorsus negari à Platone arbitrantur. Quæ sane est germana Platonici dogmatis interpretatio, vt eius Timæum, Critiam, & libros de Rep. accuratius intuenti patebit: quã proinde Aristoteles hoc in libro, cap. 1. text. 10. de sui præceptoris mente esse, & ab ipsa Academia fluxisse nequaquam dubitauit. Licet quòd ad mundi materiam spectat, eam Plato infinitis seculorum ætatibus vltro citroque temerè discurrentem fecerit, tum Deum ex confusione illa deformi ipsam in pulchrum ordinem reuocasse, numerisque decentibus, & figuris eius partes vndique decorasse, atque ita demum mundum compegisse.

Libet verò, quæ in hanc sententiam ab Heraclide Platonis discipulo tradita sunt hîc conscribere. Erat, inquit, olim mundus informis, & cœnosus, nondum discretis rerum notis integritatem suæ formæ adeptus. Nam neque dum tellus centrum suum pro fundamento rerum omnium stabilierat, neque cæli perpetuus motus certa sede voluebatur; sed omnia sine solis vsu immota, tristicique silentio depressa languebant; aliud extabat nihil, quàm informis diffusæ materiæ segnities, antequam principium illud, à quo producta, & constituta sunt omnia, salubrem vitæ modum depromens mundum mundo redderet, cælumque à terra, & pelagus à cõtinente distingueret. Quo tempore primum elementa quatuor, ex quibus ceu radice, ac generis principio nihil non gignitur, ordinem suum, & formam propriam acceperunt. Hæc ille. Lege Basiliũ homil. 2. Hexam. vbi hunc Platoniorum errorem de materiæ æternitate, quo etiam Pythagorici & Stoici imbuti fuere, credit occasionem sumpsisse ex verbis illis Genesios, Terra autem inanis erat, & vacua, &c. quem errorem cõfutat Tertullianus aduersus Hermogenem, & Lactãtius lib. 2. cap. 9. Hoc igitur modo sese habuerunt philosophantium placita de mundi creatione; etsi alia quoque inter eos fuerint certamina dũ hi vnũ, illi plures, aut etiam infinitos mundos constituunt. Qua de re D. Augustinus. 18. de ciuitate Dei c. 41. & in libro ad Quod vult deum de hæresibus, Theodoretus in libro de materia, & mundo, Cyrillus Alex. lib. 2. contra Iulianum, Clemens Alex. 5. Stromatum, alijque complures.

Porrò Aristoteles à Platone discedens totum vniuersum ex omni æternitate fuisse palam docuit. Vnde apud Hierophontem sacerdotẽ duplici de causa accusatus dicitur, & quod in Lyceo vnũ Deũ docuisset cõtra patrios ritus de idolis & multitudine Deorũ: & quod mūdũ sēpiternũ enūtiasset, quẽ initio tēporis cōditũ tota Græcia putabat. Nō desunt tamē, qui dicant Aristotelem hæc sibi sententiam

Sed frustra?

Platonis error de eternitate materiæ.

Heraclides Platonis auditor.

Error Plat. de materiæ sempiternitate vnde oritur.

Aristoteles apud Hierophontem accusatus.

Yyyy

non

Vt D. Ambrosius, D. Augustinus, D. Iustinus martyr, D. Damascus, Clemens Alex. Theodoros, Eusebius, Celsus, Theophrastus, Septimius.

Lege Alei. in lib. de doctr. Plat. c. 12.

D. Clemens li. 8. recognit. D. Ambr. 1. Hexa c. 1. Plutarchus, in Sympol. Eusebius lib. 7. de perenni Phil. Mirandula 1. d. Examine vanit. c. 11.

Orphylolichus, nus, Pro Apuley, 09, Crã Simpli-Taurus, ario.



non, vt demonstratam omnino persuasisse; sed vt probabilem dialecticis rationibus agitasse, ac præsertim eos coarguere voluisse, qui mundum physico motu genitum asseriebant: sic Aristotelis mentem interpretantur D. Thomas. 1. p. q. 46. art. 1. Albertus hoc lib. tract. 1. c. 1. Valricus in sua summa lib. 4. Argentinas in 2. d. 1. q. 2. art. 1. Adducuntur vero vt ita credant eo potissimum argumento, quod Aristoteles. 1. Topicorum. cap. 9. problema dialecticum vocarit, Sit ne mundus æternus, an non.

Aristoteles  
mundi eterni-  
tatem pugna-  
nter defendit.

Non videtur tamen hæc opinio cum Aristotelis mente congruere, qui in 4. & 8. huius operis. 1. de cælo. 2. de ortu & interitu. 12. Metaphys. ac denique vbicunque de mundi effectione disserit, eius æternitatem pugnaciter defendit. Quin verò magna pars eius doctrinæ, quæ apud ipsum de primæ causæ efficientia est, in eam vnam assertionem incumbit. Quapropter Aphrodisæus rogatus quid Aristotelis ipsi magis placeret, respondit se sententiam de mundi æternitate præ cæteris arripuisse, quod in ea sola videretur Aristoteles sibi constare. Neque officit quòd id Aristoteles inter problemata dialectica numerarit. Primum quia sciebat complures sapientiæ nomine insignes viros contrariæ fuisse opinionis, quod ad rationem problematis fat erat. Deinde quia id non ex professo, sed exempli causa duntaxat pronuntiauit; in exemplis autem, vt 1. Priorum cap. 39. docet, non requiritur veritas.

## ARTICVLVS II.

QVOD MVNDVS INITIO TEMPO-  
ris à Deo productus sit, vt fides docet: & quo  
anni tempore productus fuisse videatur.

Conclusio.

**Q**uid tamen Aristoteles, alijue senserint; mundum non ex æternitate, sed initio temporis, Dei creantis imperio, ac voluntate productum fuisse docet fides orthodoxa, quæ à primæ veritatis luce descendens aduersantium sibi errores quasi nebulam discutit, omnemque altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei euertit.

Multis locis  
sacrarum li-  
terarum, &  
capit. Firmi-  
ter de summa  
Trinit. & fide  
Cathol.

Virg. 2. G

Sententia exi-  
stimantium  
mundum Au-  
tumno ortū.

Vberioris autem doctrinæ gratia duo hoc loco exponemus. Alterum, quo anni tempore videatur mundus à Deo fuisse conditus. Alterū, an noua mūdi creatio physicis rationibus demonstrari possit. Quòd ad primū attinet, Abulēsis. q. 21. in 1. caput Geneseos, alijsq; in locis, Lyranus 1. & 7. Geneseos, & Exodi. 12. prætereā nonnulli ex Hebræis, & è recētoribus Theologis, arbitrantur mūdū Autūno conditum, mense Septembri, Sole circiter in fine Virginis, vel in principio Libræ existente. Idem placuisse Aegyptijs inde conijci potest, quod

quod tempore Mosis annum à Septembri inchoabant, vti refert Iosephus libro. 1. Iudaicarum antiquitatum. Quæ consuetudo non aliunde apud illos orta videtur, nisi quod persuasum haberent eo mense mundi primordia fuisse. Vna è potissimis rationibus, quibus prædicti auctores nituntur (vt omittamus eas, quas è diuinis literis hausere) ea est, quia conueniens fuit arbores in statu perfecto, atque adeo cum fructibus iam maturis à Deo creari. Primum quia Dei perfecta sunt opera. Deinde quia eiusmodi fructus tam primis nostri generis parentibus, quàm brutis animantibus ad alimentum mox dati sunt, vt constat ex 1. cap. Geneseos: cum igitur mense Septembri arborum fructus maturi, & ad esum apti esse soleant; videtur sanè Deus eo mense arbores, totumque mundum produxisse. Adde quod si in nostro hemisphærio creatæ essent arbores verno tempore sequeretur nec Autumno eiusdem anni creationis mundi, nec aliorum insequentium annorum, debuisset arbores matures fructus apud nos habere, vtpote quos verno tempore maturos exhibuissent: cum tamen secus accidere videamus.

Damascenus libro. 2. fidei orthodoxæ cap. 7. Leo Sermone. 9. de passione. Athanasius in quæstionibus ad Antiochum q. 17. (si eius est illud opus) Rabanus ad caput. 12. Exodi. Isidorus 5. Etymologiarum, cap. de temporibus. Augustinus in quæstion. veteris & noui testamenti. q. 106. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi. 14. Beda in libro de ratione temporum cap. 28. Ambrosius libro. 1. Hexameron cap. 4. Theodoretus quæst. 72. in Exodum, atque omnes pene scholasticæ Theologiæ professores asserunt procreatum fuisse mundum verno tempore mense Martio. Quod statuit etiam Synodus Palæstina coasta à Theophilo Episcopo Cæsariensi ex mandato Victoris Papæ; eiusque decreti meminit Beda lib. cit. cap. 40. Neque hoc tantum patribus visum fuit, sed antiquis etiam Astrologis, qui propterea Solatem motum à principio Arietis auspicabantur: & poetis, quorum inter Latinos princeps ita cecinit;

Virg. 2. Geor.

Non alios prima nascentis origine mundi  
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem  
Crediderim: Ver illud erat, ver magnus agebat  
Orbis, & hybernis parcebat flatibus Euri.

Ex his partibus etsi nulla omnino certis & indubitatis argumentis nitatur, multò tamen verisimilior est ea, quæ mundum verno tempore ortum affirmat, maximè propter doctorum, qui illam tuentur, multitudinem, & auctoritatem. Porro cum non superiori tantum, sed inferiori etiam hemisphærio, diuersis tamen anni mensibus, suum ver sit, suusque Autumnus, vt luce clarius est, dum mundum verno tempore creatum dicimus, loquimur de verno tempore nostri hemisphærij.

Acgyptij annum à Septembri inchoabant.

Mundum verno tempore creatum affirmat Damascenus.

Leo.  
Athanasius.  
Rabanus.  
Isidorus.  
Augustinus.  
Cyrillus.  
Beda.  
Ambrosius.  
Theodoretus.  
Synodus Palæstina.

Conclusio

Yyyy 2

Quod

**Excellentia superioris Hemisphærij.** Quod verò ita res habuerit, ex eo ostenditur, quia congruebat, ut mundo recens nato optimum anni tempus largiretur Deus in nostro hoc hemisphærio, quod nobilius est & illustrius, ut siderum, quæ ad polum Arcticum fulgent, numerus, magnitudo, pulchritudoque demonstrat. Tum maximè quia sub eo condenda erat Hierosolyma, præsentia Christi domini & mysterijs redemptionis nostræ consecranda; itemque sub eodem erat futurum mundi caput Roma, sanctitatis, fideique magistra, & Europa, vbi Christiana Respublica præcipua semper dignitate floruit; ad quod verisimile est Deum in conditione mundi respexisse.

**Verni temporis encomiū.** **Ex D. Ambrosio.** Esse autem vernum tempus anni totius optimum, palàm indicat eius amœnitas, temperies, & ad res gignendas, conseruandas, atque ad incrementum prouehendas commoditas; cum tamen Autumno deflorescant paulatim omnia, & ad corruptionem tendant. In quam sententiam ita scripsit D. Ambrosius cap. 4. libri primi Hexamer. Inde mundi capi oportebat exordium, vbi erat opportuna omnibus verna tēperies. Vnde & annus mūdi imaginē nascentis expressit, ut post hybernas glacies, atque hyemales caligines serenior solito verni temporis splendor eluceat. Dedit ergo formam fructus annorū curriculis mundi primus exortus; ut ea lege annorum vices surgerent, atque initio cuiusque anni produceret terra noua seminum genera, quo primum dominus Deus dixerat, Germinet terra herbā. Et paulo inferius, Decebat enim principium anni, principium esse generationis, & ipsam generationem mollioribus auris foueri. Neque enim possent tenera rerum exordia aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æstus iniurias sustinere. Hæc D. Ambrosius. Quibus consentanea inuenies apud Theodoretum quæst. 72. in Exodum.

**Creatum mundum mense Martio.** Deinde creatum esse mundum mense Martio, quod scholasticæ historiæ magister in historia Geneseos Ecclesiæ dogma esse affirmat, illud est argumento; quia Deus eo mense Israelitas à seruitutis Aegyptiacæ iugo in libertatem asseruit, eodemque in vtero Virginis nostram sibi copulauit naturam; & hominum scelera profuso in cruce sanguine expiauit. Quapropter congruere videtur, ut eodem hominem atque adeò mundum produxerit.

**Natalitij mūdi dies.** Quòd verò ad ipsū creationis mūdi diē attinet, Strabus, & Rabanus tuper c. 12. Exodi aiūt fuisse decimū octauū diem Martij. D. Hieronymus in libro de Ecclesiasticis scriptoribus, & pleriq; alij asserūt fuisse diē vigesimū quintum eiusdē mensis. Addūtque eodē die creatum esse mūdum, & Christū à mortuis resurrexisse, atque adeò die dominico; quod etiā affirmat Leo pōtifex in Epistola nona ad Dioscorū. Idēque canit Ecclesia in hymno diei dñicæ: Primo dierū omniū (idest dominico) quo mundus extat conditus, vel quo resurgens conditor nos morte victa liberat. Quare hæc sententia amplectenda est.

Ad ea, quibus ostendi videbatur mundum non vere, sed Autumno ortum; respondendum in primis Deum non in omnibus arboribus toto orbe (nec enim id operis perfectio requirebat) maturos fructus produxisse: sed pulchra varietate, arborum alias floribus vernantes, alias maturis, alias imaturis fructibus onustas pro locorum diuersitate creasse. Quod si ubique arbores maturos fructibus exhibuere; atque adeo in multis regionibus, ut in ijs, quae pertinent ad nostrum hemisphaerium, praeter proprii soli, coelique naturam; id summi parentis indulgentia in gratiam recens nati mundi effectum est. Et verò ubi id contigit, dicendum ut proximo Autumno eiusdem anni, aliisque sequentibus maturos fructus arbores haberent, seruatas tunc diuinitus fuisse cum primis illis fructibus usque ad Autumnum. Quod mirandum non est, cum illos etiam supra naturam ordinem diuino imperio extulissent. Vel dicendum eiusmodi arbores à principio simul habuisse alios fructus maturos, qui ante Autumnum deciderunt; alios immaturos, qui Autumno maturitatem assecuti sunt; atque inde annis sequentibus ordinariam germinandi & fructificandi legem toto orbe pro locorum ingenio, & varietate seruata.

Responso ad  
argumenta  
contrariae par-  
tis.

Variè scētē  
de statu arbo-  
rum, quas Deus  
initio mundi  
procreauit.

## ARTICVLVS III.

## NOVAM MVNDI CREATIONEM

non posse Physicis rationibus demonstrari,  
licet ad eam suadendam probabilia  
argumenta suppetant.

**A**D id verò, quod secundo loco explicandum proposuimus, videlicet utrum seclusa fide, mundi nouitas physicis rationibus demonstrari possit, respondet D. Thomas 1. p. quaest. 46. ar. 2. & lib. 2. contra gentes. cap. 38. & Capreolus in 2. dist. 1. quaest. 1. art. 1. non posse. Quod item asseruit D. Gregorius homilia in Ezechielem prima. Et rectè quidem; cum spectato solo naturae lumine nulla ratio adduci queat, quae id palam conuincat. Quod intellige de creatione mundi absolutè sumpta. Nam mundum ab aeterno fuisse eo modo, quo putauit Aristoteles, omnino improbabile est, videturque id firmis, ac perspicuis argumentis confutari. Quae de re in progressu.

Cæterum ad quolibet mundi creationem ab aeterno, tam Aristotelicam, quam aliam quacunque refellendam, nonnulli verisimiles quasdam rationes afferre solent. Primum quia, ut superius diximus, & Aristoteles tum hoc loco, tum 1. de caelo ca. 10. tex. 102. fatetur, omnes propemodum antiquitatis philosophi Vniuerso exordium dedere; ita ut huiusmodi assertum à primis mundi incolis per manus traditum, ac posteris commedatum fuisse videatur. Similia verò ar-

Mundum, ut  
putauit Ari-  
stoteles, non  
potuisse eter-  
num esse.

Rationes pro-  
babiles ad  
mundi noui-  
tatem suaden-  
dam.

1. ratio.  
A comuni  
hominum com-  
sensu.

Item Bassoli-  
us in 2. d. 1. q.  
5. & Rabbi  
Moyses li. 2.  
637.

gume

gumenta à tã graui, & vnanimi sapientum auctoritate, quasi ab ipsa naturæ voce sensuque veritatis ducta, per magnum habere solent in philosophia momentum, vt Aristoteles in libro de diuinatione per somnia & lib. 7. Ethic. fatetur.

2. ratio.

Ab artium inuentione.

Secundò. Quia constat qui qua ætate floruerint artium inuentores; vt legere est apud D. Athanasium in oratione contra idola, Clementem Alexandrinum 1. Stromatum, Iosephum 1. antiquitatũ c. 2. Heliodorum lib. 2. Strabonem vltimo Geographiæ, Plinium lib. 7. Natur. hist. cap. 56. Polydorum in libro de inuentione rerum, Dioscorum lib. 2. antiq. cap. 2. & alios. Non est autem probabile infinita antecedentium annorum serie absque artibus vixisse genus hominũ, quod teste Aristotele 1. Metaph. cap. 1. arte viuit & ratione.

3. ratio.

Ab historijs antiquorũ temporum.

Tertiò. Quia si antiquitatis memoriam excutiamus, omnia, quæ Gentiles historici prodiderunt, Noetico diluio recentiora esse inueniemus. Nam Berofus Chaldæus, cuius historia vetustissima habita fuit, à diluio exorsus est, vt Iosephus 1. libro contra Apionẽ obseruauit. M. Varro diligentissimus originum scrutator nihil cataclysmo Ogygis antiquius retulit: at Ogyges fuit synchronos Patriarchæ Iacob. Trogus Pompeius sumplit exordium à Nino, qui annis post mundi creationem nongentis & mille monarchiæ Assyriorum, quæ omnium prima fuit, iecit fundamenta. Hinc ergo ad probandam mundi nouitatem ratio ducitur; cum rerum, quas historici prodiderunt, initia inueniantur. Vnde & Lucretius libro quinto sui poematis.

Præterea si nulla fuit genitilis origo  
Terrarum & cœli, semperque æterna fuere;  
Cur supra bellum Thebanum, & funera Troiæ  
Non alias alij quoque res cecinere poetæ?  
Quò tot facta virum toties cecidere, nec vsquam  
Aeternis famæ monumentis inclyta florent?

Quorundam  
responsio.

Hiscè rationibus occurrunt assertores æternitatis, hominum memoriam, artes, & scripta vicissitudine quadam infinities vnâ cū hominibus aqua ignique perijt. Aiunt enim eluiones, & deflagrationes terrarum, certis annorum curriculis accidere solere: eluiones quidem planetarum humidorum coniunctione in signis pluuiabilibus; deflagrationes coniunctione calidorum in signis calidis: sicque renouationes mundi identidem fieri, ac rerum per vices antiquum redire ornatum. Verum hæc responsio non satisfacit, quia licet aliquot prouinciales cataclysmi extiterint, vt Niliaca, Attica, Thessalica; licet etiam interdum excitato in materia sulphurea subterraneis locis incendio, aliqui terrarum tractus perierint; fictitium tamen est existimare vllam esse in natura vim, quæ toti terræ inundationem, aut incendium possit inuehere, vt lib. 1. Meteororum cap. 14. Aristoteles animaduertit.

Legè Senecæ  
1. 6. N. t. quæ  
st. c. 27 & 29.  
Tullij 2. de  
nat. deorum.

Postremò quod mundus non fuerit ex æternitate, probare con-  
tendunt nonnulli indicio decrementi humanorum corporum. Ete-  
nim vt D. Augustinus 15. de ciuit. Dei cap. 9. D. Cyprianus aduer-  
sus Demetrianum. Plinius lib. 7. Nat. hist. cap. 16. Aulus Gellius lib.  
3. Noct. Attic. cap. 10. alijque scriptores testantur, quò magis ætatù  
decursus præterit, eò minora corpora fert natura. Quod Homerus  
iam olim Iliados 6. conquestus est, & Iuuenalis satyr. 15. hisce ver-  
sibus.

4. ratio.  
A decremē-  
to corporū.  
D. Aug.  
D. Cypri.  
Plin.  
Homer.

Terra malos homines nunc procreat, atque pusillos;  
Ergo Deus quicūque aspexit, ridet, & odit.

Quare si homines ab eterno extitissent; decrescēte paulatim eo-  
rum magnitudine, iam ad minimam quantitatem deuenissent.

Hæc aliaque eiusmodi argumenta ( quorum nonnulla refert &  
dissoluit S. Thomas 1. p. q. 46. art. 2. & Philo Iudæus in libro de in-  
corruptibilitate mundi, si eius est illud opus ) non nihil probabilita-  
tis conciliant sententiæ de nouitate mundi, solius naturæ lumine  
spectato, quæ alioqui prout Catholicæ fidei testimonijs innitur,  
certissima est.

### QVÆSTIO III.

QVOPACTO DILVENDÆ SINT PHI-  
losophorum rationes pro mundi æternitate.

#### ARTICVLVS I.

RATIONES ARISTOTELIS.



Quoniam tam Aristoteles, quàm alij, qui mundi  
æternitatem astruere conati sunt, à veritate ab-  
errarunt, potissimas eorum rationes colligemus,  
ac refutabimus hoc loco.

Prima ratio Aristotelis hoc in libro c. 1. tex.  
4. ita se habet. Si motus non fuit ab æterno, sed  
aliquis primus motus extitit; vel mouēs & mo-  
bile, à quibus ille fuit causatus, cœperunt esse, vel semper fuere: si  
cœperunt esse; ergo per aliquam generationem, & motum. Quare iã  
ille motus, qui antea primus dicebatur, non fuit primus. Si autem  
semper fuere, absurdum est sempiterno tempore neque vnum mo-  
uisse, neque alterum fuisse motum; præsertim cum nulla ratio as-  
signari queat, cur postea motum inierint. Semper igitur fuit motus,  
atque adeo & rerum vniuersitas.

Secunda ratio ex eodē capite tex. 10. Tempus est æternū: ergo &  
motus.

1. ratio.  
A naturā mo-  
bilis.

2. ratio  
motus.

**A ratione prioris & posterioris.** motus. Probatur assumptum. Nam si tempus habuit initium, prius non fuit, posterius deinde cœpit esse: atqui ratio prioris & posterioris non datur absque tempore: ergo antequam esset tempus iam tempus erat. Quare admitti debuit semper fuisse tempus.

**3. ratio. A natura momenti.** Tertia ratio ex eodem capite tex. 11. Nullum tempus est absque momento; sed omne momentum est finis præteriti, & exordium futuri: igitur nullum tempus fingi potest, ante quod non sit aliud, & post quod aliud non sequatur. Tempus igitur sempiternum est.

**4. ratio. A consequentia necessaria motuum.** Quarta ratio ex eodem capite tex. 12. Si motus esset habiturus finem daretur aliquis motus posterior ultimo, quod repugnat; ergo motus non retro solum, sed etiam antè infinitus est. Assumptum probat, quia adhuc post quemlibet motum manebit aliquod mobile, & mouens à quo moueatur; atque adeo eum motum, qui extremus dicebatur, alius subsequetur.

**5. ratio. A ratione ordinis.** Quinta ratio ex cap. 2. à tex. 15. Deus & natura in omnibus rebus ordinem amant; at infinito quasi tempore non fuisse motum, deinde cœpisse esse, est præter ordinem; quia ordo consistit in proportione; infiniti vero ad finitum nulla est proportio: ergo motus nunquam cœpit, sed perpetuò fuit.

**6. ratio. Ab immobilitate primi agentis.** Sexta ratio ex cap. 6. tex. 53. Idem eodem modo se habens semper idem efficit: cum igitur primus motor idè semper, atque immutabilis sit, vel semper motum edidit, vel nunquam, sed hoc posterius est aperte falsum: prius igitur verum est. Simile argumentum legitur etiam lib. 12. Metaphys. cap. 6. tex. 30.

**7. ratio. A lege, quam Deus & natura in operando seruant.** Septima ratio ex cap. 7. tex. 56. Deus & natura ex possibilibus efficiunt id, quod est melius; atqui melius est motum cœli continuū, & æternum esse; quia quemadmodum præstat esse, quam non esse, ita præstat semper fuisse, quam cœpisse esse. Igitur motus cœli est continuus & æternus.

## ARTICVLVS II.

## ALIORVM ARGVMENTA.

**8. argum. Mundus Archetypus. Pla: o.** Quoniam Proclus, Simplicius, Auicenna, & Auerroes, Aristotelis de mundi æternitate sententiam tuendam suscipere, præcipua eorum argumenta profliganda à nobis sunt. Sic igitur argumentabantur. Mundus Archetypus, id est exemplar mundi quod in mente diuina existit, est vnum & æternum; sed Deus sicuti in Timæo non semel Plato dixit, efformauit mundum hunc, qui sub sensum cadit, tanquam diuini exemplaris perfectissimam imaginem; ergo sicuti ipsam & singularem, & vnigenam fecit; ita sempiternum facere debuit; alioqui perfecta imago non esset; quia suum exemplar, nec perfectè, nec appositè exprimeret.

Secundò: Nihil bono magis propriū est, quàm se diffundere; sed Deus ex sua essentia, atque infinitè bonus est; ergo maxime decuit, vt alijs rebus suam bonitatem diffunderet, & cōmunicaret. Non videtur autem consentaneum, vt hanc communicationem distulerit; sēper igitur eā exhibuit, atq; adeò ab æternitate res p̄duxit. Corroboraturq; huiusce argumēti vis; quia ignis si materia adsit, nec quicq; obfit, illicō vim suā vrendo promit, idq; in eius perfectionē cedit. Quare par erat, vt Deus ab ipsa æternitate potentiā creatricē effectu explicaret; cum id, quod perfectionis in rebus creatis est nequaquā ei denegandum sit. Huc etiam pertinet, quod amplioris munificentiae est quoduis donum citiūs, quā seriūs elargiri; & quod tarda gratia ingratum facit: & quod omnis res, quæ dando non deficit; dum habetur & non datur, non videtur haberi quomodo habenda est.

Tertiò. Aut Deus voluit mundum creare, & non potuit: aut potuit, & noluit: aut neque potuit, neq; voluit: aut & voluit, & potuit. Si voluit & non potuit, imbecillis est: quod in Deum non cadit. Si potuit, & noluit, inuidus: quod æque alienum est à Deo. Si neque voluit, neque potuit; & inuidus, & imbecillis est; ideoque nec Deus. Si voluit, & potuit, quod solum Deo competit, sequitur Deum ab æterno mundum creasse; ergo &c.

Quartò. Sicut se habet voluntas noua ad actionem antiquam; ita voluntas antiqua ad actionem nouam: atqui voluntas noua non potest esse causa actionis antiquæ; ergo nec voluntas antiqua actionis nouæ causa erit; proindeque ab æterna Dei voluntate non nisi æternus effectus progredi potuit.

Quintò. Vel Deus initio temporis creare cœpit, propterea quod ei præterita operis vacatio displicuit: vel quia fortuitò, & improuida temeritate in mundi fabricam incurrit: sed in Deum neque sui displicentia, neque fortuna, aut temeritas locum habent: nō igitur creare aliquādo cœpit; cū antea nō crearet; atque adeo ab æterno creauit.

Sextò. Id, quod semper fuit, & per suam essentiam causa est, vt aliquid fiat, non potest esse causa, vt sit actu id, quod antea potestate tantū erat; sed Deus semper fuit, & per suam essentiā est causa rerū; ergo non potuit efficere, vt, quæ antea nō existebant, inciperēt esse. Quare nisi res ab æterno creasset, creare eas postea nequisset.

Septimò. Nulla idonea ratio afferri potest, cur si mundus cœpit esse, non prius posteriusue conditus fuerit. Cū igitur Deus absque optima ratione nihil faciat, dicendum potius erit mundum ex omni æternitate fuisse ab eo conditum, quàm initio temporis cœpisse.

## ARTICVLVS III.

## DISSOLVNTVR RATIONES

Aristotelis.

**H**æc, aliaque eiusmodi, quæ homines cœlestis disciplinæ, & fidei lumine dīstitutos in eū errorē induxerūt, vt putarint mūdū nō potuisse nō esse ab æterno, si humana ratio confutare nesciret,



Regula fidei  
tribunal veri-  
tatis  
Solutio pri-  
mæ rationis.

ad fidei regulã, vt ad tribunal veritatis pronocare deberet, sed potest ea humana ratio, & quidẽ facili negotio cõfutare, & diluere. Igitur ad primã rationẽ Aristotelis cõcessa maiori propositione dicẽdũ mouens, quod nõ est Deus, v, g, intelligẽtiã, & mobile, vt orbẽ cælestẽ, cœpisse esse, nõ tamẽ per generationẽ & motũ, sed per creationẽ, quæ nec motũ, nec generationẽ prærequirit.

Sol. 2.

Tẽpus & spa-  
tium imagina-  
ria sēper fue-  
re.

Ad secũdã negãdũ est antecedẽs, & ad eius probationẽ respõdẽdũ cum dicimus prius nõ fuisse tẽpus, sed postea cœpisse esse, illud, prius, nõ importare differẽtiã tẽporis veri, & realis, sed imaginarij tantũ, quod suo modo semper fuit, sicuti & imaginarium spatium.

Sol. 3.

Ad tertiã cõcessa maiori negãda est minor, quæ ab Aristotele non probatur, sed in ea, vt anotaui D. Thomas. i. p. q. 46. art. 1. supponitur perpetua atecessio, & consecutio temporis, quæ probanda erat.

Sol. 4.

Etiã post  
diem iudicij  
aliqui motus  
erunt.

Ad quartã dicẽdũ in primis motũ nõ õnino in natura rerũ vnquã desiturũ. Nam etiã post vniuersalis iudicij diẽ nõ solũ Angeli, sed etiã homines beati loco moueri poterũt, si velint, & inferorum ignis corpora eorũ, qui sēpiterno supplicio addicti erũt, aduret, & denique circa intellectuẽs substãtias aliquæ visẽtur mutationes: licet ex omnes perire etiã õnino possẽt denegãte Deo cõmunẽ cõkursũ, sine quo creatura omnis in nihilũ abiret. Dicẽdũ præterea posse esse, req; ipsa futurũ motũ vltimũ aliquorũ corporũ, vt elemẽtorũ, & sphaerã cælestiũ, quæ post diẽ vniuersalis iudicij immortalitate, & quiete perpetua fruẽtur, inhibito videlicet eo, qui nũc est, naturæ cursu, & sublunari natura ab interitu in posterũ vindicata eius beneficio, qui vt initio tẽporis nouũ mũdũ cõdidit, ita in fine tẽporis noua faciet omnia. Neque verò absurdũ erit manere mobilia, & ea, quæ mouere illa possẽt, nec tamẽ dari motũ, ita vniuersitatis principe & auctore deo disponente propterea quod in illo mundi statu ita conueniat.

Sol. 5.

Non absque  
ordine crea-  
se Deum mũ-  
dũ initio tẽpo-  
ris.

Ad quintã admissa propositione negãda est afsũptio, & ad eius cõfirmationẽ dicẽdũ, esto finiti ad infinitũ nulla sit proportio; & ordo rerum naturalium magna ex parte in proportione consistat, Deum tamen qui naturæ legibus non astringitur, cum ab æterno motũ esse noluit spectasse aliam ordinis rationem, quam sciebat ipse, & ob quã mũdũ potius initio tẽporis, quã ex æternitate procreare cõueniebat. Itaque nõ fuit præter diuinũ ordinẽ post infinitũ tẽpus imaginariũ cœpisse motũ. Qua de re in p̄gressu plura.

Sol. 6.

Ad sextã dicimus idẽ eodẽ modo se habẽs semper facere idẽ, si ope retur necessitate naturæ, quo pacto non operatur Deus, sed õnino libere.

Sol. 7.

Ad septimã dicendum naturam facere optimum, quod potest; at motus sempiternitatem non esse opus solius naturæ, sed simul etiam mouentis libere. Deum verò non absolutè facere optima, cũ possit

De hac redo-  
tores in 4. d.  
48.  
Apoc. 21.

Lege quæst. 5.  
huius capituli  
secundi.

ege  
p. q.  
d. 6.

possit in infinitum meliora facere; licet semper faciat id, quod spectatis omnibus circumstantijs magis conuenit: fuisse autem magis conueniens, ut mundi creatione initio temporis moliretur, uti mox dicemus.

## ARTICVLVS III.

## DILVVNTVR ALIORVM ARGVMENTA

**A**liorum vero argumenta hunc in modum explicanda erunt. Primum ita. Mundus hic est diuinæ mentis Archetypo depromptus fuit, suūque exemplar perfecta imitatione exprimit; perfecta inquam, non simpliciter, ut D. Thom. prima parte quaestione 47. ar. 1. obseruat; sed quatenus talis est effectus, qualē se illū Deus producturū diuina arte cōceperat. Neque propterea æternus esse debuit, quia eius idea ab omni æternitate fuerat; cū illū Deus nō nisi initio temporis fabricare decreuisset. Quēadmodū ut quoduis artefactū creati artificis typū imitetur; nō necesse est, ut typo cōuēnī sit, sed ut ipsū referat, ei que secundum formam respondeat. Denique si proposita ratio momentum haberet, necessum foret mundi fabricam, sicuti & diuinam eius ideam, corporeæ molis expertem esse, ut recte argumētatur Iustinus Philosophus in quaestionibus ad gentes. q. 8.

Vt mundus diuinū Archetypum imitetur.

Iustinus Philosophus.

Solutio secūdi. Maximè propriū sūmi boni est sese cōmunicare; hæc tamē cōmunicatio erga creaturas, cū omnino libera, & spōtanea sit, potuit eā Deus quādiu voluit, differre. Nec enī vlla necessaria ratio poscebat, ut æterna esset: nec habet se ad creaturas Deus, quēadmodū ignis ad stupā; qui propterea quod necessitate naturæ agit, nō potest nō adhibita materia actionē edere. Neque verò cōmunicare se alijs rebus ita illas efficiēdo, ut nō possit nō efficere, est perfectio simpliciter; sed perfectio quædā imperfectioni admixta; siquidē absque libertate & delectu operari imperfectionē arguit; quæ imperfectio in Deū cadere nō potest. Neque diuinā liberalitatē dedecere creationis beneficium differre. Etenim ad liberalem pertinet ordinate dare; nō autem citò dare, si beneficium differre magis conueniat: conueniebat autem, uti mox dicemus, differri mundi creationem.

Communicatio diuina erga creaturas libera.

Liberalitatis esse ordinate dare.

Solutio tertij. Potuit Deus ab omni æternitate mundū cōdere comodo, quē progressu explicabimus, sed noluit; non quòd eū aut potestas deficeret, aut inuidia retardaret, sed quia illū suæ diuinæ sapientiae cōsilio nō nisi in tēpore producere decreuerat. Possūt autē huius diuini cōsiliij rationes aliquot à nobis afferri. Primū, quia, ut D. Tho. 2. cōtra gēt. c. 38. ait ex noua mūdi creatione cōspiciū fit Deū neque naturæ necessitate agere, neque vllius rei indigere, sed se ipso beatū esse. Deinde, quia sic facilius innotescit rerum dependentia à Deo:

Cur Deus nō procrearet mundum ex æternitate.

siquidem id, quod non semper existit, palā est habere causam, à qua fluxit, quod in re ab æterno procreata minùs eluceret.

Quo pacto æterna Dei voluntas potuit esse causa nouæ procreationis rerum.

Solutio quarti. Sicut voluntas noua, idest, quæ nūc cæpit esse, nō potest edere actionem antiquā, idest, quæ iam fuit; quia omnis causa saltem natura antecedit effectum: ita voluntas antiqua, seu quæ iā

esse desijt, non potest elicere actionē nouā, idest actionē; quæ nūc esse incipit: quia id, quod nullo modo est, nequit per se efficere, quod nūc fit. Nihilominus volūtas Dei antiqua, siue, quæ ab omni æternitate semper fuit, semperque est; potest esse causa nouæ actionis, siue nouæ procreationis Vniuersi. Nec mirum, quòd voluntas diuina producendi mundum semper extiterit, nec tamē semper mūdus fuerit; sic enim Deus ab æterno voluntatē habuit mundū procreādi, vt nō habuerit voluntatē eum procreandi ab æterno. In quā sententiā ita scribit Hugo Victorius. 1. de Sacramētis parte 2. c. 10. & 11. volūtas æterna fuit, & opus voluntatis æternū nō fuit, semper enim voluit, vt faceret, & nō voluit, vt semper faceret: sed vt aliquādo faceret, quod semper voluit, vt faceret aliquādo. Itaque æterna bonitate semper voluit, & æterna sapientia semper disposuit, quod æterna potestate aliquando facit. His similia leges apud D. Isidorum lib. 1. de summo bono.

Hugo Victorius.

Isidorus.

Quomodo Deus nulla sui mutatione aut inconstātia denuo mūdum creauit.

Augustinus. Athanasius.

Solutio quinti. Deus sua præcellenti bonitate adductus initio tēporis effectricē potētīā ad rerū procreationē applicuit: nō quòd eū suæ absque initio vacationis pænituerit; nec quòd casu, aut fortuita incōstantia in mūdi structurā incidere; sed quia cum ei sua æterna placuisset quies, placuit initio tēporis mundi opificiū, æterna mēte conceptum, exterius efformare; idque sine noua cogitationis mutatione. Nouit enim quiescens agere, & agens quiescere, potestque ad actionē nouā; non nouū, sed sempiternū adhibere cōsiliū, vt proxime dicebamus, docetque D. Augustinus. 12. de Ciuit. Dei cap. 16. Quem etiam lege libro. 11. confess. à cap. 10. & D. Athanasium in oratione. 2. contra Arianos.

Solutio sexti. Deus per suam essentiam est causa rerum, nō quasi existentiam diuinæ essentiæ, aliarum rerū existentia necessariō cōsequatur; verū, quia non per aliquid sibi additum, sed per suam potentīā, quæ est idem re cum eius essentia, res producit; libere tamē, atq; interueniēte externa actione, vt fuit à nobis superius explicatū.

De hac re disputat D. Bonau. in 1. d. 44. q. 3.

Futilis quæstio cur Deus nō antea mūdū cōdiderit.

Solutio septimi. Ridicula quæstio est, qua quæritur; cū Deus mūdum initio temporis condere statuisset, cur eū nō prius, posteriusve condiderit. Sicuti ridiculū est sciscitari cur nō plura, maiorave corpora fecerit. Nā cū illa quātacūque fierent, oporteret esse finita, semper eadē quæstio in termino cogitationis hærebit, desiderio finis alterius, sēperque rogandū supererit, cur Deus nō ampliora fabricarit. Eodē ergo pacto futile, ac vanū est, inquirere cur Deus tunc potius, quàm antea, posteaue mūdum crearit; siquidē quocunque vel tēpore vel initio tēporis creasset, eadē esset quæstio occursura. Dicēdū igitur ideo tūc Deū pduxisse mūdum, quia tūc voluit, tūcque occulto sue sapiētiae cōsilio, nō sine optima ratione, licet nobis ignota intra regios diuinæ Sapiētiae thesauros recōdita, se illū pducturū decreuerat. Quæ sane respōsio terminat oēs cōtrouersias quæretū mūdi originē. Deniq; hoc argumētū luculenta oratione diluitur apud D. Clementem. 8. lib. recognitionū, & à D. Aug. 11. de ciuit. Dei c. 7.

D. Clemens. D. August.

## QVÆSTIO V.

VTRVM DEVS NATURÆ NECES-  
sitate mundum procrearit.

## ARTICVLVS I.

NEGANTEM PARTEM QVÆSTIO-  
nis omnino veram esse.

**P**

RO explicatione huiusce controuersia animaduerten-  
dum est, aliquid agere ex necessitate naturæ, esse ita age-  
re, vt non possit nõ agere. Quod bifariam contingit; vno  
modo, quia agens solo naturæ impetu citra omnem in-  
tellectus, & voluntatis actum, in rem fertur, vt ignis cū  
calefacit. Altero, quia etsi per intellectum & voluntatē  
āgat, non tamen ex delectu & libertate operatur, sed ita, vt actionem  
suspendere, aut inhibere neququam valeat: sic que Pater in diuinis  
per actum intelligēdi generat filium; Pater & Filius per actum amā-  
di spirant Spiritum Sanctū. Hoc posito nemo vnquam Philosopho-  
rum vsque adeo hallucinatus est, vt putarit Deum agere ex neces-  
sitate naturæ priori modo; cū omnes diuino numini intellectum &  
voluntatem attribuerint. De posteriori tamen non parua inter eos  
dissensio fuit, alijs opinantibus Deum liberè, alijs necessario mun-  
dū procreasse. Quæ cōtrouersia profliganda hoc loco à nobis est. Ac  
primū pro hac secūda quæstionis parte ita licebit argumētari. Quic-  
quid Deus agit, ex necessitate agit; igitur De⁹ necessario mūdū pro-  
duxit. Antecedens probatur, quia si Deus non ageret ex neces-  
sitate; ageret ex contingenti, quod admittendum non est, cū contin-  
gentia mutabilitatem & inconstantiam importet, à qua omnis diui-  
na operatio longe abest. Secundo. Confirmatur idem antecedens  
hunc in modum. Quicquid Deus scit, necessario scit; ergo quicquid  
vult, necessario vult. Consecutio ostenditur, quia non minus Dei  
voluntas, quàm Dei scientia, vna eademque res sunt cum essentia di-  
uina, in quam nulla prorsus mutatio, aut varietas cadere potest. Huc  
etiā pertinet, quòd actus interior, quo Deus efficere extra se quid-  
piam vult, est perfectio diuina, quæ cū Deo abesse nequeat, neces-  
sum erit velle Deum alia à se producere: proindeque necessitate na-  
turæ mundum creasse.

In hac quæstione primū quid sentiendum sit; deinde quid in ea  
senserit Aristoteles explicabimus. Quod ad primum attinet, asse-  
rendum

Agere ex ne-  
cessitate na-  
turæ bifariam  
accipitur.

Argumentū  
quibus videtur  
ostendi Deū  
agere ex ne-  
cessitate natu-  
ræ.

Conclusio

De. in I. d.  
49.4.

re dif  
D. Bo.  
I. d.

Probatur te-  
stimonijs di-  
uinis.  
Psal.  
Apoc.  
Paul. ad Heb.

rendum omnino est Deum nulla naturæ necessitate, sed liberè mun-  
dum produxisse: id quod fides Catholica multis sacræ paginæ testi-  
monijs docet, vt psalm. 134. Omnia quæcunque voluit, Dominus  
fecit. Apocalypsis 4. Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam  
erāt, & creata sunt; & cap. 1. epistolæ ad Ephesios, qui operatur om-  
nia secundum consilium voluntatis suæ. Quæ loca non solum indi-  
cant Deum voluntate & intellectu pollere; sed etiam liberè, suoque  
arbitratu operari.

Rationibus.

Confirmatur verò idem à D. Thoma 2. contra gent. cap. 23. & in  
quæst. de potentia q. 3. art. 15. hunc in modum. Inprimis Deum  
agere per intellectum & voluntatem de quo, vt supra diximus, nec  
Ethnici Philosophi dubitarunt ( etsi inter eos omnium primus Ana-  
xagoras pronuntiarit diuinum intellectum esse causam efficientem  
rerum omnium, vt Aristoteles 1. Metaph. cap. 3. & Plato in Theet.  
referunt ) confirmatur inquam in hunc modum. Primo agenti de-  
betur prima perfectissimaque operatio, sicuti primo mobili primus,  
ac nobilissimus motus: sed operatio ab intellectu & voluntate ma-  
nans longè præstat actioni naturæ; ergo ea in primum agens, pro-  
indeq; in Deum competit. Præterea, ordinare, vt constat ex 1. Me-  
taphys. cap. 2. est munus & officium sapientis; quod certe exhiberi  
non potest, nisi ab eo, qui rerum inter se proportionem, & habitu-  
dinem norit, ametque. Cum igitur in rerum vniuersitate tanta ordi-  
nis elegantia, & pulchritudo eluceat; plane sequitur mundū ex præ-  
scripto diuinæ sapientiæ, & diuini amoris effectu, atque adeo intel-  
lectu & voluntate fuisse creatum.

Ordinare mu-  
nus sapientis.

Deinde quod Deus non necessariò, sed omnino liberè mundum  
produxerit, & vniuersim, quod extra se nihil nisi sponte sua, ac li-  
bere agat, ita ostenditur. Cum Deus summe bonus, atque infinite  
perfectus sit, omnem boni & appetibilis rationem in sua essentia in-  
uenit, & vt etiam Aristoteles fatetur 2. Magnor. moral. cap. 15. & 7.  
Polit. cap. 1. non indiget aliqua externa re; sed ex sua natura, ac per  
se ipsum felix est & beatus; ergo diuina voluntas nihil extra se neces-  
sariò appetet, proindeque nullam creaturam ex necessitate produ-  
cet. Item Deus propriam amando bonitatem vult alia à se, prout illa  
diuinum esse suo modo adumbrare, & participare valent; igitur cum  
diuinum esse infinitis modis participari queat; si Deus ex eo, quod  
suam bonitatem necessariò amat, necessariò vellet creaturas existere;  
cum nullaratio sit, cur has potius, quàm illas, cur plures, quàm pau-  
ciores esse velit; vtique totam suam vim infinitam ad eas procreandas  
funderet; sicque essent actu in rerum natura infinitæ; quod tamen à  
vero longè aberrare constat ex ijs, quæ 3. huius operis disputata sunt. Cap. 8. q. 2. &

Si Deus ne-  
cessario vel-  
let creaturas  
producere, ef-  
set actu infi-  
nitum.

Præterea quicquid perfectionis est in rebus creatis, id totum necesse  
est in Deo excellentiori modo contineri: sed liberum arbitrium est  
vna è maximis perfectionib<sup>9</sup> naturæ intellectiuæ, erit igitur in Deo,  
atq; ita liberè Deus eliciet omnes externas actiones, quibus sese crea-  
turis cōmunicat.

His

Legge F  
cum C  
quodl.  
Duran  
d. 39. c  
Tho. 1.  
gent. c.

His ita constitutis ad argumentum, quo oppositum huiusce assertionis ostendi videbatur, negandum est antecedens; & ad primam eius probationem, reiecta Scoti sententia, seu potius modo loquendi in 1. d. 39. aiētis Deum contingenter agere; dicendum potius cum D. Thoma in 1. d. 43. q. 2. art. 1. & in quaestionibus de potentia q. 3. art. 15. alijsque in locis Deum neque necessario operari, vt demonstratū fuit; neque contingenter, quia contingentia mutabilitatem & imperfectionem in operante innuit: sed ratione quadam inter mutabilitatem & contingentiam media; hoc est, ex libero arbitrio; qui agendi modus ex necessitate quidem constantiam accipit, ex contingentia verò possibilitatem aliter se habendi erga res, quas molitur.

Ad secundum dicito tam intellectiōnem, quàm volitionem diuinam, si in se, & quoad suam substantiam spectentur, necessario Deo conuenire, vt argumentum concludit: si autem secundum respectus, quos sibi ad creaturas vindicant, sumantur: sic diuinam intellectiōnem necessariam ad illas habitudinem obtinere: non ita verò diuinam voluntatem. Cuius discriminis ea ratio est, quia Deus nequit potentiam suam comprehendere, nisi cognoscat omnia, quæ per eā potest producere, atque adeo creaturas omnes. Item quia, vt D. Thomas 1. p. q. 19. art. 3. alijsque in locis ait, cognitio fertur in res, quatenus in cognoscente insunt; volitio autem quatenus sunt in se ipsis. Quare cū omnia prout in Deo sunt, necessario esse habeant, non autem prout sunt in se ipsis: inde est, quòd Deus non quæcunque vult, necessario vult, esto quæcunque scit, necessario sciat. Quod tamen intellige de scientia antecedente omnem actum diuinæ voluntatis, quæ à Theologis abstractiua, seu simplicis intelligentiæ dicitur, qua nimirum Deus res secundum suas essentias, seu secundum se præcisè sumptas comprehendit. Nam si sermo sit de scientia visionis, seu de notitia intuitiua, quæ tendit in res prout in aliqua temporum diffentia existūt: sic Deus non necessitate absoluta, sed necessitate hypothesis eas nouit, hoc est supposita libera sua voluntate, qua eis esse in rerum natura confert. Ad id quod vltimo obijciebatur, dicendum internum actū, quo Deus aliquid extra se agere vult, esse quidem perfectionem diuinam, si quoad suā substantiam, & id quod absolutū in eo est, spectetur, quo pacto abesse Deo nequit: non autem si expendatur, quoad respectum ad creaturam, quem cōnotat: sic enim nec perfectio, nec imperfectio est; & vt Deo ex arbitrij libertate conuenit; ita diuino actui inesse & non inesse potuit. Ex quo intelliges aliter sese habere in nobis, aliter in Deo arbitrij libertatem: nos enim ita liberè volumus, vt non solum in hoc, vel illud obiectum ferri, aut non ferri: sed ipsum volendi actum, quoad suam positiuam entitatem mutare, aut inhibere valeam⁹: Deus verò licet vno simplicissimo & incommutabili actu in res feratur, eiusmodi tamen actus ad hanc vel illam habitudinem, quam erga creaturas habet, ex sua natura indifferens est atque adeo liber: ita vt nec ei libertas immutabilitatem, nec immutabilitas liber-

Responſio ad  
1. arg. pio ad  
actiua par-  
te.

Ad. 2.

Duplex mo-  
do diuinæ sci-  
entiæ.  
Scientia sim-  
plicis intelli-  
gentiæ.  
Scientia visio-  
nis.

Discrimen in-  
ter nostrā &  
diuinā liber-  
tatem.

Lege Henrici  
cum Gand.  
quodl. 9. q. 11.  
Dorand. in 1.  
d. 39. q. 1. D.  
Tho. 1. contra  
gent. c. 82.

libertatem adimat. Sicque diuina voluntas nobiliori modo, quam nostra, arbitrij compos est. Nostra enim est in potestate ad hunc vel illum actum eliciendum; quod mutabilitatem, & imperfectionem importat: at diuina sub eodem actu perseuerans, indifferentiam quidem habet circa obiecta à se distincta, non tamen circa suum actum quoad substantiam consideratum. Neque ex tali indifferentia circa hoc vel illud obiectum potentialitas, & imperfectio in Deo arguitur; cum per eam nec ex appetente non appetens, nec ex non appetente appetens fiat: nec ab ipsa re externa determinetur, sed à libera sua voluntate proponente ei intellectu id, in quod tendit.

## ARTICVLVS II.

### Q V I D A R I S T O T E L E S I N R E proposita iudicabit.

**I**ta patet quid in proposita controuersia sentire oporteat. Nunc quæ in ea Aristotelis mens fuerit, expendamus. Primum satis constat, non eum sibi persuasisse fuisse mundum à Deo procreatum ex necessitate naturæ priori modo; cum multis locis testatum reliquerit Deum intelligendi, & volendi facultate pollere; vt lib. 1. Metaph. cap. 2. & lib. 12. cap. 9. tex. 51. & 7. Ethic. cap. 4. Præterea quia probabilius est cognitam ei fuisse diuinam prouidentiam: quæ cum sit ratio ordinis rerum in finem, ijs tantum, quæ finem intelligendo præcipiunt, atque amando expetunt, conuenire potest. Item quia lib. 2. huius operis luculenter ostendit, naturam non temerè, aut fortuito, sed alicuius finis gratia operari; quod, vt inibi exposuimus, eatenus verum esse deprehenditur, quatenus res naturales instituto & directione Dei, qui ipsius naturæ princeps, auctorque est, ad certum finem, quem ipse nouit, ac dirigit, quali sagitta ad Scopum collimantur.

Cæterum num Aristoteles crediderit Deum ex necessitate naturæ secundum posteriorem sensum, rerum vniuersitatem procreasse, non satis inter eius interpretes liquet. Auerroes enim in opere, quod inscribitur, *Destructio destructionum*, ait Deum apud Aristotelem non agere ex necessitate, sed eminentiori quodam alio modo, ipsi duntaxat conspicuo, mortalibus verò incognito. Alexander etiam in libro de fato ad Antoniū, & Seuerum Imperatores, vbi se ex Aristotelis dogmate philosophari profitetur, admonet à Deo petenda esse beneficia, quod penes ipsum dandi, ac non dandi facultas sit.

Plerique tamen, è quorum numero est Scotus in quodlibetis q. 7. Heruæus quodl. 5. q. 4. & in tract. de æternit. mundi quæst. 4. Marsilius in 1. d. 42. & 44. Gregorius d. 42. Gabriel. d. 43. q. 1. Ferrariensis 2. contra gent. cap. 23. censent Aristotelem operandi libertatem Deo ademisse. Quod certè non pauca eius testimonia dilucidè ostent-

Quo sensu  
Deum non age  
re ex necessi  
tate naturæ co  
gnouerit Ari  
stoteles.

De quo sit cō  
trouersia.

Auerroes.

Alexander.

Quod Aristoteles  
cogno-  
uerit prouidē  
tiā Theophi-  
lus Antioche-  
nus lib. 3. ad  
Autolicū D.  
Thom. 3. de  
cel. c. 10. Sta-  
pulenſis ad c.  
3 lib. 1. Oecō.  
Theophilus  
Zimara ad  
tex 34. lib. 2.  
de anima.

ostendunt; præsertim si de ijs actionibus Dei loquamur, quæ ad mundi opificium, cœlestium sphaerarum motum, & conseruationem specterent, ac denique ad communem Vniuersi perfectionem, & ornatum spectant. Etenim cap. 1. huius libri text. 7. & 8. hunc in modum argumentatus est. Primum mouens non antea mouebat? Erat igitur aliquid, quod eum à motione retardabat. Quæ consecutio sumit, primum motorem necessariò agere. Nam alioqui facilè quispiam responderet, primum motorem ante à motu abstinuisse, non ob aliquod impedimentum; sed quia liberum illi erat, non agere. Præterea cap. 6. text. 52. asserit ex æternitate primi principij necessariò concludi mundum semper fuisse.

Itaque non videtur dubitandum, quin putarit Aristoteles Deum circa mundi creationem liberè agendi facultate caruisse, licet eidem, vt quorundam sententia est, ad nonnulla effecta libertatem dederit. Nam 4. Topic. cap. 5. ait, Deum quædam facere posse, quæ non facit, & 8. Ethic. cap. 7. Deum habere erga bonos amicitiam. Et 10. eiusdem operis cap. 8. eos, qui verè Sapientes sunt, & rationem ducem sequuntur, Deo charissimos esse. Quæ certè munera non necessitatis, sed libertatis esse videntur. Pro eodem etiam facit, quod Aristoteles, referente Laertio in eius vita, antequam diem obiret, Deum orasse perhibetur; ac religionis causa testamento quædam fieri commendasse. Quod cum facturum non fuisse verisimile est, nisi crederet diuinum numen precibus flecti, & honestis, pijsque hominum actionibus ad benefaciendum allici, atque adeò nonnulla esse, quæ Deus ex libertate & arbitrio suo moliatur.

Quo pacto  
Aristoteles  
Deo necessi-  
tatem operæ  
di imposue-  
rit.

## QVÆSTIO VI.

**NVM ALIQUID A DEO EX ÆTERNITATE PROCREARI POTUERIT.**

## ARTICVLVS I.

**QVIBVS ARGVMENTIS PARS NEGATIUA QUÆSTIONIS PROBARI VIDEATUR.**



Stensum à nobis superius est non fuisse aliquid ab æterno procreatum. Nunc non vt res habuerit, sed quo pacto sese habere potuerit, inquirimus. Sunt igitur qui negent potuisse ab æterno quicquam à Deo effici. In his numeratur D. Bonaventura,

Affertores  
partis negati-  
uæ.

Aaaaa

in



M. Albert. in 2. dist. prima, quæst. secunda Albertus Magnus ibidem, & ad finem  
 Henricus. primi capitis huius libri, Henricus Gandauensis quodlib. 1. quæst.  
 Richardus. 7. & quodlib. 9. quæst. 17. Richardus in secundo d. 1. quæst. 4. circa  
 Vdalricus. 3. princip. Marsilius q. 1. art. 2. Vdalricus in sua summa lib. 4. Gui-  
 Guil. Parifi. lielmus Parisiensis. 1. lib. de vniuerso. Philoponus cap. 3. eius libri  
 Philoponus. quo respondet argumentis Procli pro mundi æternitate, alijque nõ  
 nulli. Quæ opinio hunc in modum suadetur. V: Maior in  
2. q. 1. art. 2.

1. arg. Primum, Id, quod creatur, producitur è nihilo, atque adeo pro-  
 cedit à non esse ad esse: sed quod ita procedit, ante quam sit non est:  
 creatum verò ab æterno non potest non esse, antequam sit: ergo ni-  
 hil potest esse creatum ab æterno.

2. arg. Item, Siquid fuisset ab æterno creatum, simul fieret, & factū esset;  
 alioqui prius non esset quàm esset: sed ea quæ simul fiunt & effecta  
 sunt, momento fiunt, proindeque suæ durationis initium habent:  
 ergo nihil, quod creatur, ab æterno esse potuit.

3. arg. Tertio, In sempiternis non differunt esse & posse, vt Aristoteles  
 ait tertio huius operis lib. cap. 4. text. 32. ergo si quid ab æterno esse  
 potuit, ab æterno fuit: atqui nihil fuit ab æterno: ergo nec potuit  
 esse.

4. arg. Quarto, Nulla creatura potest aut essentiam aut virtutem habe-  
 re infinitam: ergo neque infinitam durationem: si autem ab æterno  
 extitisset, sortiretur durationem infinitam. Nulla igitur ab æterno  
 esse quiuuit.

5. arg. Quintò, Si Deus aliquid creasset ex æternitate, necessariò id con-  
 didisset, non autem liberè: sed impossibile est aliquid necessariò &  
 non liberè à Deo effici: ergo impossibile fuit Deum aliquid ab  
 æterno creare. Probatur maior, primum quia si Deus eam rem po-  
 tuisset non creare; vel potuisset ante: vel post; vel dum crearet.  
 Non antè; quia ante creationem æternam nulla potest esse du-  
 ratio. Non post; quia ad præteritum reuocandum nulla datur po-  
 tentia. Nec denique dum crearet; quia tunc res creata iam esset; res  
 autem quando est necessariò est, vt patet ex cap. ultimo libri primi  
 de interpretatione. Quare non liberè Deus creasset, si ab æterno  
 creasset. Secundo probatur eadem maior, quia vel ea duratio, in qua  
 Deus potuisset non creare, esset æternitas ipsa, vt respondet nostræ  
 durationi diuisibili; vel vt respondet durationi indiuisibili. Non  
 vt respondet indiuisibili; quia iam daretur æternitatis initium.  
 Nec vt diuisibili; quia vel ea esset finita, vel infinita: non fini-  
 ta, tum quia haberet principium, atque ita daretur initium æter-  
 nitatis, tum etiam quia in parte dimidia, quæ est versus nos, non  
 potuisset non creare, cum in priori parte iam creasset, & ad  
 præteritum, vti diximus, non sit potentia: nec item esset infi-  
 nita, quia in qualibet posteriori eius durationis parte non po-  
 tuisset non creare, siquidem in alia priori iam creasset. Igitur si-  
 quid

quid Deus ab æterno produxisset, non liberè, sed necessariò produxisset.

Sextò, si Socrates potuisset ab æterno creari, potuisset etiam ab æterno in nihilum redigi; cum in creatione, & in reductione ad nihilum eadem ratio esse videatur: sed hoc non admittent aduersarij: ergo neque illud.

Postremò idem corroboratur multis Patrum testimonijs. In primis enim D. Damascenus lib. 1. de fide Orthodoxa cap. 8. palàm docet, id quod è non esse ad esse traducitur, nequire suo principio coæternum esse. Quod item asseruit D. Ambrosius lib. 1. Hexameron cap. 3. Præterea D. Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 15. expresse ait non potuisse Angelos coæternos esse creatori. Et Hugo lib. 1. de sacramentis cap. 10. fugit, inquit, diuinam virtutem vt aliquid sibi coæternum faciat.

6. arg.

Vitis. um, ex  
patrum testi-  
monijs:  
D. Damasc.  
D. Ambro.  
D. August.  
Hugonis Vli

## ARTICVLVS II.

CONSTITVITVR PARS AFFIRMATIVA  
controuersia.

**A**Duersa tamen opinio, quæ asserit potuisse aliquid ab æterno creari verisimilior est; eamque tuetur D. Thomas. 1. par. quæst. 46. art. 2. & 2. contra gentes cap. 46. alijsque in locis; Durandus, Argentinas, Gregorius, Ochamus, Gabriel, Hispalensis, Aegidius, Heruicus, Capreolus in secundo. d. 1. Ferrariensis hoc in libro quæstione. 3. Caietanus loco citato primæ partis, alijsque sectatores D. Thomæ: quam etiam probabilem putat Scotus in secundo d. 1. q. 3.

Conclusio:

Omisis autem alijs rationibus, quibus hæc pars confirmari solet, hæc vna, quæ multarum vim habet, sufficet. Quidquid nõ inuoluit contradictionem potuit à Deo fieri; sed aliquid ab æterno creari nõ inuoluit contradictionem; ergo &c. Probatur assumptio, quia neque ex parte Dei creantis, neque rei creatæ, neque ipsius creationis ab æterno, vlla repugnantia est. Quod ita ostenditur, primùm quod non sit repugnantia ex parte Dei, quia non minor est Dei virtus ad creandum; quàm solis ad illuminandum: at si ex æternitate sol esset ex æternitate illuminasset, vt D. August. 6. de Trinitate cap. primo edocet: ergo cum Deus æternus sit, ab æterno creare potuit. Deinde quod nihil obstet ex parte rei, quæ producitur, suadet. Nam aliquid genitum est ab æterno, nempe Verbum diuinum, quod Deus Pater ex omni æternitate genuit, ergo nulla sequitur contradictio ex eo, quòd aliquid ab æterno producat. Denique quod ex parte ipsius creationis nihil impediatur inde conclu-

Probatio:

D. August.

In definitio-  
ne creationis  
quo pacto su-  
méda sit par-  
ticula, è nihi-  
lo.  
D. Anselmus.

ditur, quia si quod esset impedimentum, ex eo maximè foret, quòd creatio sit è nihilo productio; hinc enim videtur colligi, vt id, quod creatur, obtineat esse post non esse; quod æternæ durationi aduer-  
satur. Verùm rationem hanc nihil efficere inde patet; quia parti-  
cula, è nihilo, in definitione creationis, non sumitur positivè, qua-  
si notet ordinem termini, sub quo res priùs fuerit; sed negativè, vt  
docet D. Anselmus in Monologio cap. 8. prout nimirum idem va-  
let, atque non de aliquo, seu nullo præiacente subiecto.

Lege D. Th.  
1. p. q. 45. ar. 1.  
Dur. in 2. d. 1.  
q. 2. Heruèi  
in tract. de  
æternitate mû-  
di q. 2.

## ARTICVLVS III.

SOLVTIO ARGVMENTORVM,  
quæ initio proposita fuerant.

Corpora cœ-  
lestia etiam  
nunc à Deo  
creantur suūq;  
esse accipiūt.  
D. August.

**R**espondeamus nunc argumentis, quæ probare contendebant non potuisse quicquam ab æterno creari. Ac primo quidem ex ijs, quæ proximè statuimus quid respondendum sit constat. Ad secundum verò concessa maiori propositione, explicanda est minor. Si enim significet ea, quæ simul fiunt & facta sunt, fieri momento temporis duntaxat, falsa est. Nam corpora cœlestia etiam nunc à Deo creantur, cum ab illo perenniter accipiant esse è nihilo etsi non nouum, vt docet D. August. libro. 4. de Genesi ad lit. cap. 12. nec tamen momento solum temporis creantur; sed toto tempo-  
ris progressu, & in quolibet eius instanti. Si autem sensus sit, ea quæ  
simul fiunt & effecta sunt, etiam in quolibet momento tempo-  
ris accipere totum suum esse; verum id quidem est; non tamen ex  
eo colligitur dandum fuisse aliquod instans, aut certam vllam par-  
tem temporis, in qua res ab æterno creata suum esse primò accepis-  
set.

Her. in tract.  
de ætern. mû-  
di q. 1. ad 7.

Esse & posse  
in æternis nõ  
differre quo-  
modo intelli-  
gendum.

Ad tertium dicendum est ex eo, quod Deus aliquid ab æternitate creare potuerit, non sequi creasse id ab æterno; cum non ex naturæ necessitate, sed liberè operetur. Illud verò pronuntiatum, in æternis nõ differunt esse & posse, variè ab interpretibus accipitur. Burlæus, Simplicius, alijque nonnulli putant non afferri id ab Aristotele ex propria sententia, aut tanquam veritati consentaneum, sed de mente Archytæ, & Epicureorū, cū quib<sup>9</sup> ei citato loco negotiū erat. Alij se-  
cus opinantur, asserūtque id Peripateticū esse, cū 9. Meta. c. 9. tex. 17.  
ab Aristotele concedatur. Et hi etiam diuersas illius interpretatio-  
nes afferunt; quas lege apud D. Thomam de potentia Dei quæst. 3.  
art. 4. landunum lib. 4. huius operis quæst. 9. ijs verò omisis breui-  
ter respondemus, effatum hoc quodam in sensu verū esse, in alio fal-  
sum: verum, quatenus significat si quid ab æterno sit, id simul & ex-  
stitisse, & potuisse existere; nec enim prius potuit esse, deinde fuit;  
alioqui

De sensu eius-  
dem proposi-  
tionis in 2. d.  
1. q. 1. art. 3. d.  
Bon. in 2. d.  
24. n. 45.

Con-  
stotel.  
1. Eth.  
lib. 6.  
an c.  
um li-  
tu. his

Lege Sc.  
in 1. d.  
quantū  
mum.

Lege cū  
D. Th. d.  
gentia D.  
3. art. 14.  
pr. loc. ci

alioqui non ab æterno extitisset: falsum, si ita accipiatur, ut asserat quicquid ex æternitate à Deo produci potuit, ex æternitate fuisse productum. Itaque tertium argumentum, si prædictum effatum in priori sensu vsurpet, non recte colligit; si in posteriori, non probe assumit.

Ad quartum, concessio priore pronuntiato, negandum est posterius. Nam ex eo quòd aliquid infinita duratione perseveret, non arguitur in eo infinita perfectio, quæ tamen arguitur ex infinitate virtutis & essentia. Si quis verò obijciat vnumquodque tantò esse perfectius, quantò diuturnius; proindeque si quid infinitis sæculorum ætatibus extitisset, infinitæ perfectionis excellentiam habiturum; negandum erit antecedens, cuius falsitas deprehenditur exemplis multarum rerum, quæ cum deterioris notæ sint, diutius perseverant.

Longior duratio non semper maioris perfectionis comes.

Consule Aristotelem lib. 1. Eth. c. 7. & lib. 6. de hist. an c. 29. Pliniam lib. 7. Natural. hist. c. 48.

Nam ex brutis animantibus tum alia, tum cerui, & cornices; ex arboribus autem non paucæ ut olea, cupressus, palma, ilex, platanus, homine viuaciores sunt. Quibus tamen homo naturæ dignitate longè præstat.

Ad quintum, Neganda est maior, & ad eius probationem dandum potuisse Deum non creare dum creabat: quod verò in contrariam partem primo loco obijciunt, refellitur dicendo id quod est, quãdiu est, necessariò esse; non simpliciter, sed ex hypothesi; quatenus nimirum supponitur esse, quæ necessitas non est absoluta, siue consequentis, ut loquuntur, sed consequentiæ tantum. Item ad id quod secundo opponunt, respondemus in primis eam durationem esse æternitatem in se spectatam, non ut huic aut illi imaginarij tēporis durationi respondet. Namque in ipso indiuiduo æternitatis puncto, quo Deus cœlum creasset, potuisset non creare, quemadmodum & nos in instanti temporis, quo quidpiam volumus, simpliciter nolle possumus, si ita lubeat, non quidem in sensu composito, idest, si ponamus nos iam velle: sed in sensu diuiso, idest, spectata voluntate secundum se. Secundo dicimus potuisse Deum non creare in æternitate, ut respondet tempori infinito imaginario, inadæquatè tamen; quia nimirum sumpta quacunque parte temporis designata hinc versus æternitatē, in ea non posset non creasse, quia iam creasset tēpore infinito, in quo tamen ita inadæquatè sumpto poterat non creare. Lege Capreolum in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 3.

Quo sensu Deus dum creabat poterat non creare.

Lege Scotum in 1. d. 39. §. quantum ad primum.

Ad sextum respondendum est non eandem esse rationem in creatione Socratis ab æterno, & in reuocatione eiusdem ad nihilum: fieri enim nõ potest, ut aliquid in nihilum redigatur, quin prius esse habeat, ut luce clarius est. Quare si Socrates ab æterno in nihilum redactus esset, ante annihilationem extitisset: sicque fuisset, & nõ fuisset æterna eius annihilitio: fuisset, quia ita ponitur; non fuisset, quia illa præcessisset creatio.

Quo sensu patres negarint potuisse aliquid præter Deum ab æternitate esse.

Lege eundem D. Th. de potentia Dei q. 3. art. 14. Cap. loc. cit.

Ad septimum dicendum cum D. Thoma in opusculo de æternitate mundi, & Durando in 2. d. 1. q. 2. Patres non de creatione absolute

lutè accepta fuisse locutos, sed de ea, qua rei denuò esse tribuitur post non esse, qualis ea fuit, qua Deus vniuersum condidit: hac verò planū est non potuisse quicquam ab æterno creari. Præterea vfurpasse æternitatem non pro qualibet infinita duratione, sed prout definitur, interminabilis vitæ tota simul & perfectæ possessio, quæ folius diuinæ naturæ propria est, vt patet ex ijs quæ lib. 4. huius operis tradidimus, ac præter alios docet Boetius lib. 5. de consolat. Philosophiæ prof. 6. & D. Thomas loco citato.

Cap. 14. q. 3.  
art. 1.

## QVÆSTIO VII.

NVM RES OMNES SINE DISCRIMI-  
ne ab æterno esse potuerint, nec ne.

### ARTICVLVS I.

QVID DE REBVS PERMANENTI-  
bus asserendum sit.



**R**VIT à nobis quæstione proxima statutū potuisse creationem ab æterno esse. Nunc quæ nā illa sint, quæ creari ab æterno potuerint, sigillatim scrutabimur. Quoniam verò rerum quædam in fluxu, & successione consistunt, quas successiuas appellant, nēpe motus, & tempus: aliæ simul cohærent, ac permanent; quas permanentes vocant, vt Angeli, & homines; primū quid de permanentibus sentiendum sit, expediemus.

1. assertio.

Prima assertio. Res permanentes, quæ interitu vacant, vt Angeli, & corpora cœlestia potuerunt ex æternitate à Deo produci. Hæc assertio cōmuni consensu defenditur ab ijs doctoribus, quos ad initium superioris articuli citauimus, potestque ea ratione, quam inibi explicuimus, comprobari. Nimirum id non implicat contradictionem, neque ex parte Dei creantis, neque ex parte creaturæ, neque ex parte creationis: igitur fieri à Deo potuit.

2. assertio.

Secunda assertio. Res etiam permanentes corruptioni obnoxie potuerunt ex æternitate produci à Deo conseruante illas per infinitum tempus. Hæc eadem, qua superior, probatione fulcitur. Sed enim in ea peculiariter obseruandū occurrit, quoduis singulare corruptibile si ab æterno produceretur, infinito tempore absque nouo miraculo duraturum fuisse. Nam hoc ipsum est ab æterno produci, videlicet tēpore infinito accipere esse; atque adeo talis effectio, siue creatio, idem est ac conseruatio per infinitum tēpus; videlicet,

Effici ab eter-  
no & conser-  
uari per infi-  
nitum tēpus  
in idem reci-  
dunt.

quia

quia repugnat aliquid ab æterno esse, & per tempus finitum durat durare; siquidem omne finitum tempus principio, & fine clauditur; æternitas verò omne principium excludit. Rem autem dissolubilem posse à Deo per infinitum tempus conseruari pro certo habendum est.

## ARTICVLVS II.

NVLLVM MOTVM FINITVM, AC  
nullum omnino motum rectum ab  
æterno esse potuisse.

VEniamus nunc ad motum, de quo id, quod à nobis dictum fuerit, de qualibet alia re successiua dictum volumus, cum in omnibus æqua ratio sit. Nemo igitur alicuius nominis auctor cœsuis aliquem finitum motum ab æternitate esse potuisse. Id enim contradictionem inuoluere patet ex fine proximi articuli. Et verò motum rectum infinitum absque reflexione non potuisse ab æterno fieri, communis videtur philosophantium consensus; & quidem optima ratione. Nam motus rectus ex sua propria natura postulat terminos in spatio, siue magnitudine, super qua fit, multò aliter, ac circularis; qui absque fine, & principio facile intelligi potest, sicuti & ipse circulus, qui principij, & finis expers est.

Deinde quia ex motu recto continuo ab æternitate manifestæ contradictionis implicatio existit. Si enim ab æterno duo homines mouerentur ex Oriente per spatium, magnitudinemvè infinitam, alter duplo velocius altero; & concitator hodierna die Conimbricam peruenisset, necessariò antecederet tardiozem interuallo infinito: siquidem tardior gradu suo, quantumuis lento, infinitum spatium peregisset, atq; adeò qui duplo celerius mouebatur spatium cōfecisset duplo maius, proindeque segniorem interuallo infinito post se relinqueret. Quare daretur interuallum infinitum inclusum vtrinque terminis, quod proinde esset, & non esset infinitum: hinc enim terminaretur Conimbrica; ex parte verò Orientis clauderetur loco, ad quem hodie tardior accessisset. Sequeretur præterea hunc eundem peruenturum fuisse hodie Conimbricam, immò ad quenuis designatum locum ultra Conimbribam versus Occidentem; siquidem iter peregisset infinito tempore, atque adeò tantum spatij transmisisset qui tardissimo, quantum qui celerrissimo gradu progredieretur.

Rursus si ex æternitate alter ab Oriēte, alter ab Occidente moueretur, nulla maior esset ratio cur hodie, quàm mille ab hinc annis sibi occurrerent; cur potius Conimbricæ, quàm Romæ aut alia mundi parte designata, vel extra complexum vniuersi in spatio, quod illie patere

Cor motus  
rectus absque  
reciprocatione  
non potuerit  
esse ab æterno.

Implicatio,  
quam prædictus  
motus inuoluit.

Alia implicatio.

Alia implicatio.

patere intelligimus; idque siue pari, siue impari velocitate ferretur; quia nulla loci, seu temporis definita pars medium foret, nec magis, minusve distaret ab vna parte infinitæ durationis, infinitivè spatij, quàm ab alia. Maneat igitur motum rectum absque reflexione non potuisse ab æterno esse. De motu verò recto cū reflexione reciprocationevè infinities repetita supra eandem finitam magnitudinem; idem quod de circulari, quod ad præsentem cōsiderationem spectat, asserendum est.

Quid pronū  
tandū sit de  
motu recto  
cum reflexio  
ne.

## ARTICVLVS III.

DIVERSÆ OPINIONES DE MO-  
tu circulari ab æterno.

**Q**uod ad motum circulare attinet, num, verbi gratia, cœlestium sphaerarum conuersio ab æterno esse quiuerit, res est omnino dubia, & dissidentium philosophorum argumentis in vtranque partem agitata. Pars affirmatiua, quam præter alios defendunt Capreolus, Aegidius, & Gregorius in 2. d. 1. & Heruæus quodlib. 9. q. 3. ex eo probatur, quia motum, qui in circulum fit, ab æterno esse, nulla est contradictio, neque ex parte mobilis, aut motoris, vt ex superius dictis colligi potest; nec verò ex parte motus; quia quemadmodum circulus principium non habet, ita neque motus, qui per eum fit, quod vnum eius infinitati obstare fortassis videretur. Deinde quia si cœlum, & intelligentia motrix ab æterno existissent, vel cœlum ab intelligentia moueretur; vel quiesceret. Si moueretur haberetur institutum: si quiesceret; cum quies sit privatio motus, neque rei, nisi cum ad motum ineundum apta est, convenire queat; sicuti cœlū ab æterno quiesceret, ita & moueri posset. Quod si quispiam dicat non fuisse quieturum privatiuè, sed negatiuè; quia non habuisset aptitudinem ad subeundum ab æterno motum: in cōtrarium est illud, quia aptitudo ad motum est affectio necessaria entis naturalis, neque tunc desideraretur vis actiua, à qua ad actum reduci posset, videlicet creata simul ab æterno intelligentia applicata cœlo, vt ponimus. Quare potuit motus ex æternitate esse.

Contrariam sententiam amplexus est Durandus in 2. d. 1. q. 3. ac recentium philosophorum nonnulli. Potest verò illa hunc in modum comprobari. Vbicunque datur primum, & vltimum, ea finita sunt; sed in cœlestium corporum reuolutionibus oportet dari primam & vltimam; ergo necesse est eas omnes finitas esse, ac proinde non extitisse ab æterno. Maior perspicua est; minor suadet, quia in primis datur vltima, nimirum hodierna. Deinde quòd detur prima ostenditur; quia si non daretur prima, sed ante quālibet fuisset alia; etiam ante omnes coniuictim acceptas aliqua fuisset; cum non

plures

In his sane  
Ferrar. quest.  
3. huius lib.  
Auerroes hoc  
in lib. cōm.  
76. landunus  
q. 18.

Vt Sotus hoc  
loc. q. 2.

Qui censue-  
runt potuisse  
dari motum  
circularē ab  
æterno.

1. argum.

2. argum.

Preoccupatio

Prima ratio  
pro aduersa  
ria opin.

plures in tota collectione, quā in omnibus diuisim sūptis cōtineātur.

Secundò. Posito cœlesti motu ex æternitate intelligentia motrix omnes prorsus circuitiones fuisset antegressa: præsertim cum ante peractam cuiusque circuitionis periodū necessariò anteire debuisset spatium duodecim horarum, quæ est vnius circuitionis medietas. Si igitur quælibet pars vnius conuersionis integram conuersionem præiisset, vtique intelligentia omnes omnino conuersiones antegressa foret; atq; adeò nō fuissent cœli reuolutiones ab æterno.

Tertiò. Idem hac ratione confirmatur. Si motus ab æterno extitisset, iam in nostro hemisphærio ante hodiernum diem infiniti dies, & infinitæ noctes transactæ essent; sed hoc implicat contradictionē; ergo motus non potuit esse ab æterno. Probatur minor. Sumatur ex illa dierū & noctium infinitudine numerus infinitorum dierum; sumatur item infinitarum noctium multitudo: vtraque harū collectionum est infinita; quia constat infinitis partibus æqualibus vni tertie, & non cōmunicantibus inter se; atqui si tempori infinito aliud tempus infinitum adijciatur, emerget tempus vtrinque infinitum: ergo tēpus quod ex dierum, & noctiū multitudine coalescet, erit vtrinq; id est tam versus anteriorem, quā versus posteriorem partē infinitum. Quare tempus illud infinitum non posset hodierna die terminari. Nec verò occurrat quispiam haud posse in illa temporis infinitudine transponi dies, ita vt diebus dies, noctibus noctes immediatē copulentur. Nec enim id argumentum petit, nec in eo vim vllam facit; sed tantū contendit illam infinitorum dierum & noctium collectionem, vtcūque sumatur, non posse non versus omnem durationem infinitam esse. Nam quòd dies noctibus interserantur, nō iccirco breuior duratio euadit, quā si noctes, & dies similiter inter se proximè cohærent. Stabiliturque argumentum ex eo quòd nulla potior sit ratio, cur si lineæ hinc in infinitum porrectæ versus Orientem adderetur altera versus Occidentē infinite producta; cur, inquā, linea vtrinque infinita emergeret; non autem resultaret infiniti temporis extēsiō; si tempus vnū infinitū alteri infinito interponeretur.

Quartò. Si cœlum moueretur ab æterno negari non potest singularis reuolutionibus potuisse à Deo creari vnum Angelum, quo dato iam hodie essent actu infiniti: ergo sicuti infinitum actu admittendum non est, ita nec motus ab æterno.

### ARTICVLVS III.

VTRAQVE PARS CONTROVERSIÆ DE  
motu circulari ab æterno probabilis iudicatur,  
probabilior negatiua; vtriusque ar-  
gumenta diluuntur.

Bbbbb

Quem?

sane  
quest.  
s lib.  
es hoc  
cōm.  
danus

us hoc

2

2. ratio.

3. ratio.

in q. titulo  
nonnulli  
in q. titulo  
nonnulli

Confutatio  
responsionis.

4. ratio.

Cur? tūdo  
non in motu  
posset ad eum  
non ad eum  
partem.

Respondeo ad  
primum q.  
tionem con-  
tra eorum  
motum.



Conclusio.

**Q**uemadmodum cum in tertio huiusce operis libro num infinitum diuina virtute dari queat disputarem, vtramque partem quaestionis probabilem iudicauimus; ita in hac de motus aeternitate controuersia eandem viam sequi statuimus, propterea quod ( vt praeter alios aduertit princeps Auerroistarum Bachonus in 2. distin. 1. quaest. 6. ) qui putant motum, & generationes rerum ab aeterno esse potuisse, consentaneum est, vt credant posse infinitum diuina virtute dari, & e conuerso: cum vtroque con- similes difficultates, praesertim circa numerorum implicationem, occurrant: nec defendi commodè valeat potuisse motum dari ab aeterno, quin admittendum sit potuisse nunc existere infinitam multitudinem Angelorum, quos Deus singulis caeli reuolutionibus creare potuisset. Quare sicuti nos in controuersia illa de infinito partem negantem magis probauimus, ita in hac de aeternitate motus similiter censemus. Vtriusque tamen sententiae argumenta dissoluere conabimur, vt quam quisque partem volet, tueri queat.

Solutio primi argumen-  
ti pro aeterni-  
tate motus.  
Sol. 2.

Igitur ad primum eorum, quae initio propolita sunt, responde- mus, causam cur motus ex aeternitate dari non potuerit, esse eam re- pugnantiam, quae proximè adductis rationibus explicata est. Quod verò ad secundum argumentum attinet, dicendum in primis si rectè concludat, pari ratione ostensum iri, motum aliquem finitum, ver- bi causa, ligni adustionem ab aeterno esse potuisse. Sic enim argu- mentari licebit. Creet Deus ignem, lignumque ab aeterno; vel ab aeterno dabitur ligni adustio; vel quies ab eiusmodi adustione. Si primum, habetur propositum; si secundum, cum quies sit priuatio motus; sequitur potuisse lignum ab aeterno comburi. Quare & caet. Itaque huius argumèti solutio vtriusque partis assertoribus in eum- bit. Ea verò est ex aeternitate futuram fuisse ab adustione illa quie- tem; non tamen priuatiuè, sed negatiuè; quia nullum singulare li- gnium aptum esset ad subeundam aeternam combustionem ob il- lam repugnantiam. Qua item solutione nostro argumento, dum proponeretur, aptè occurrebatur. Ad id autem, quod deinde ob- iectum fuit, dicendum licet aptitudo ad motum conueniat caelo ex aeternitate; non tamen ei competere vt ex aeternitate ad actum reduci valeat; idque non ex defectu potentiae actiuae; sed ex re- pugnantia quam aeternitas motus inuoluit, vt superiori articulo ostensum fuit. Sed enim istiusmodi implicatio solum in aeternita- te inadæquatè sumpta locum haberet. Nam quodcunque tem- pus designaretur progrediendo hinc versus aeternitatem, iam in eo moueri caelum posset, lignumque aduri absque vllò incommo- do: neque in ea re difficultas, aut dubitatio est.

Cur aptitudo  
ad motum non  
posset ab aeterno  
ad actum  
perduci.

Responso ad  
primam ra-  
tionem con-  
tra aeternitatem  
motus.

Ad primum per altera controuersia parte concessa maiori propositione dicendum est ad minorem dari quidem vltimam reuolutionem, nē- pe hodiernam, non tamen primam versus initium; sed ante quālibet

bet

bet designatam, fuisse aliam: nec proinde rectè concludi, etiam ante omnium reuolutionum collectionem, aliquam extitisse: sicut ex eo quòd accepto quolibet numero datur alius maior, non rectè inferitur omnium numerorum collectione aliquem maiorem aut esse posse, aut concipi. Ad secundum similiter dicendum intelligentiam antecedenturā fuisse quālibet cœli reuolutionem sigillatim sumptam; nō tamen omnes in vnum collectas. Itemque spatium duodecim horarum præire debuisse vnamquāque conuersionem diuisim, non tamen collectionem omnium, at nulla conuersio singularis, sed collectio fuisset ab æterno. Ad tertium, quod plus habet difficultatis, responderi potest dato motu ab æterno vtrūque numerum, tam dierum, quam noctium futurum infinitum; non efficiendam tamen ex ijs durationem infinitam versus vtrāque partem; quia cū dies noctibus intermixti fluere deberent, vtique non maius hæ, quam illi ad præteritum tempus facerent: vt verò infinitum, versus vtrāque partem componerent, oporteret præteritis futura superaddi, quādoquidem tale infinitum ex præterito & futuro constet necesse est. At in linea secus res habet; quia pars infinita versus Occidentem coniungeretur ei quæ esset Orientem versus infinita.

Ad quartum, qui motum ab æterno concedit, admittat quoque illud infinitum actu. Quāquam, licet minùs probabiliter, respondere etiam possit, si Deus ab æterno singulis reuolutionibus Angelos creasset, debuisse eos subinde in nihilū reducere, ne infiniti actu euaderent.

## ARTICVLVS V.

NON POTVISSE GENERATIONES ab æterno esse, vt eas posuit Aristoteles: num verò aliter esse quierint in vtrāque partem disputatur.

**P**roximum est vt quid de rerum generationibus sentiendum sit statuamus. Prima conclusio. Generationes non potuerunt ab æterno esse eo modo, quo eas Aristoteles fuisse arbitratus est. Hæc facile probatur; Aristoteles namque ita rerum generationes æternas fecit, vt nullum singulare rerum corruptibilium per creationem; sed omnia per generationem duntaxat, fuisse crediderit; quod impossibile est. Etenim, vt alia omittamus absurda, saltem perfectorum animantium species neququam per solas causas

fas secundas produci potuerunt, nisi prius aliquot eorum singularia, ut equum & equam, leonem & leonem Deus procreasset: siquidem nec corpora caelestia, nec caeterae causae secundae, ut experientia docuit, vim habent ad gignendas huiusmodi animantes, nisi proximè concurrente mare & foemina. At quod Aristoteles isthaec singularia, v. c. vnum leonem, quem alius non antecesserit, & à quo caeteri propagarentur, non potuerit; facile intelliget qui ad eius doctrinam animum adijciat: cum perpetua sit illius sententia, in nulla singularium intereuntium specie datam fuisse alicuius singularis productionem; quam alterius corruptio non praerit, atque adeo nullum equum fuisse, quem non infiniti antecesserint.

Status contro-  
uersie nū ge-  
nerationes  
potuerint esse  
ab eterno.

Lege c. 3. lib.  
2. de gener.

Caeterum alius modus propagationis specierum ab aeterno excogitatus est à Philosophis, de quo non parua disceptatio est; nimirum si Deus marem & foeminam, verbi gratia, leonem & leonem creasset ab aeterno suppeditato eis alimento, quo foetui materiam suggererent, & infinites generarent; nū ex ijs potuerint generationes ab omni aeternitate procedere. Quidam affirmatiuam partem defendunt eoque potissimum innituntur fundamento, quod nulla inde repugnantia aut implicatio existat.

Vt Venetus  
hoc lib. ad  
tex. 17. Capr.  
in 2. d. 1. q. 1.  
art. 3.

Aduersa opi-  
nio.

Alij è contrario, huiusmodi assertionem multis absurdis implicari & repugnantia concedere opinantur, nempe aeterno aliquid praerire; dari primum & vltimum in infinito, aliaque eiusmodi: quae hunc in modum videntur concludi. Duo illi infinitorum leonum parentes à Deo immediatè producti, priusquam vllam generationem perficerent, deberent materiam profeminare, illamque vtero conceptam disponi oporteret ad formae introductionem: ergo quilibet generationem antecederet materiae dispositio; atque adeo si generationes essent ab aeterno; ante aeternum aliquid extitisset.

Prima eius cō-  
firmatio.

2. cōfirmatio.

Item quod ex ea colligatur dari in infinito primum & vltimum, ostenditur; quia iam nunc praeteriissent infiniti leones; & ille, à quo caeteri genus ducerent, esset omnium primus, cum ante eum nullus fuisset; hodierna verò die natus, omnium vltimus foret; vtpote vltra quem non dum alius in lucem prodijisset. Nec satisfaciet qui dixerit non videri absurdum designari posse in infinito primum, & vltimum; cum in linea primum, & vltimum punctum detur; non inquam, satisfaciet: quia puncta non efficiunt infinitum, de quo hic loquimur, constans ex infinitis partibus vnumquid infinitum actu componentibus, quod à philosophis propriè infinitum dicitur; quale esset quod ex infinitis leonibus ab aeterno productis coalesceret. Nec item effugiunt, qui respondent in ea leonum infinitudine dari primum negatiuè, id est, leonem vnum, ante quem alius non extiterit; non tamen primum positiuè, hoc est, post quem designari possit secundus. Etenim cum infinitum sit id, cuius quancunque partem acceperis, alia restat sumenda; non minus contra rationem infiniti esse videtur dari primum negatiuè, quam positiuè. Siquidem dato leone illo om-

Refutatio so-  
lutionis.

Impugnatio  
alterius solu-  
tionis.

nium

Lege C.  
2. d. 1. q.  
Gregor.  
3. art. 1.  
in tract.  
ternitat.  
di. q. 5.

nium progenitore, quem negatiuè primum fatentur, iam licebit in eo infinito partem aliquam sumere (nempe eiusmodi leonem) vltra quam versus æternitatem progrediendo non superfit pars alia, quæ sumi possit; quod certè infiniti rationem demolitur.

Postremò si generationes potuissent ab æterno esse, posset non solum per diuinam potentiam, sed etiam ex ordinaria lege dari actu infinitum; hoc verò admittendum non est: ergo neque illud. Probatur maior, quia cur non posset Deus omnes illos leones infinitis annorum seculis generatos conseruare; cui non magis promptum est ea, quæ non sunt efficere, quàm effecta tueri, & ab interitus noxa vindicare? Cur nunc infinitæ animæ rationis participes non simul existerent post infinitorum hominum generationem & interitum? aut cur teneretur Deus eas, vt quidam autumant, in nihilum reducere? cuius bonitati vt est proprium sese communicare conferendò rebus esse; ita minimè conuenit res ab se productas in nihilum redigere.

Ultima cõfirmatio.

## ARTICVLVS VI.

DISSOLVUNTVR ARGVMENTA,  
quæ circa generationes ab æterno, in vtramque  
partem adducta sunt.

**I**N hac disceptatione sicuti in præcedenti, etsi magis veritati consentaneam putemus opinionem eorum, qui negant generationes (idem intellige de corruptionibus) vllò pacto ex æternitate esse potuisse; diluemus tamen vtriusque partis argumenta; vt appareat vtrâque probabilibus, neutram certis, aut necessarijs argumentis fulciri. Igitur ad id, in quo prior sententia fundamentum ponebat, respondendum est ex infinitate generationũ consequi eam repugnantiam, quæ superiori articulo explicata est.

Solu. arg. pro parte affirm.

Rationes verò pro altera opinione sic vtcunque diluentur. Ad primam dicendum erit duos illos infinitorum leonum progenitores debuisse prius vnâquamq; singularem materiam ad quâlibet generationem subministrare, & disponere, deinde formam introducere. Ex quo rectè concluditur nullam singularem generationem potuisse ab æterno esse; quia quamlibet necessariò antecederet dispositio: nõ tamen sequitur collectionem generationum nõ potuisse esse ab æterno; siquidem omnes simul nulla materiæ præparatio anteisset.

Solu. r. rat. pro parte negat.

**A**d secundam, non esse alienum à ratione infiniti, etiã eius, quod propriè infinitum est, dari in eo primum negatiuè: id enim, quod ita primum habetur, manet quodammodo extra sortem illius infinitatis,

Solu. 2.

Lege Capr. in  
2. d. 1. q. 1. ar. 3.  
Gregoriũ q.  
3. art. 1. Heru.  
in tract. de æ-  
ternitate mĩ-  
di. q. 5. ad. 5.

tis; vnde eo dempto nullus iam leo sumetur, quem non infiniti antecesserint.

sol. 7.

Pythagorica  
palingenesia.

Ad postremam facile quis negauerit infinitos leones ab æterno propagatos potuisse conseruari à Deo ob infiniti repugnantiam: similiter propter eandem causam non admittet generationes hominum ab æterno; aut si admittat, asseret debuisse Deum animas racionales successiuè ad nihilum reuocare, ne in infinitam excrescerent multitudinem; aut certè efficere, vt eadem circulo quodam in alia, atque alia corpora immigrarent iuxta Pythagoricam palingenesiam; quod tametsi facultate naturæ præstari non possit, diuina virtute potest. Hæc tamen responsio, quod ad humanas generationes attinet, parum omnino probabilis est. Nam brutorum generationes ab æterno admittere, humanas negare nulla ratio conuincit; positis vero etiam humanis, effugia illa quærere à ratione alienum est, minimeque necessarium. Dicendum potius non minus hominum, quàm aliarum rerum generationes ab æterno esse potuisse, animasque racionales ad multitudinem actu infinitam deuenturas, idque deuorandum esse ei, qui concesserit potuisse dari generationes ab æterno.

Pro sol. huius  
arg. lege D.  
Tho. opusc.  
72. & li. 2. cō-  
tra gentes c.  
81. Scot. in 2.  
d. 1. q. 3. Petri  
riensem hoc  
loc. q. 3. Beia-  
rionem lib. 2.  
contra Calu.  
Plat. c. 7.

### Capitis tertij Explanatio.

**P**rofligatis ijs rationibus, quæ ostendere videbantur non posse motum sempiternum esse, quod plerique motus exordium, finemque habeant; considerationem, quæ subsequitur, auspicandam sibi esse ait ab eo, quod dubitandi occasionem paulò ante induxerat: nimirum quamobrem quædam mobilia nunc ciantur, nunc quiescant. Id verò

vt accuratiùs expli-  
cet, tripartitam quã-  
dam sectionem tra-  
dit, cuius tertium mē-  
brum rursus diui-  
dit: eaque compre-  
hendit statum om-  
nem, qui rebus se-  
cundum motum &  
quietē spectatis cō-  
uenire potest.

a Omnia igitur  
vt quintum propo-  
sitæ sectionis mem-  
brum statuatur, cetera  
explodit, sumitque  
initium à sententia  
Parmenidis, & Zeno-  
nis, qui vsque ad eò  
hallucinati sunt, vt  
contra sensum per-

Absurda opi-  
nio Parmeni-  
dis, & Zeno-  
nis.

spicuitatem, omniumque artium, & scientiarum dogmata, & communem hominum estimationem è tota natura motum sustulerint, immò & naturam ipsam quæ principium est motus, & quietis demoliti sint. Contra quos proinde disserere ad physilogum non attinet, vt qui omnia Physicæ disciplinæ iura peruertant, sicuti in primo huius operis dictum fuit.

Lege,

### CAP. III.

**P**incipium autem cōsiderationis id erit, quod etiam fuit dubitationis allatæ, cur nam aliqua res aliàs mouentur, aliàs quiescunt. Neesse est itaque aut vniuersa semper quiescere, aut vniuersa semper moueri, aut alia quidem moueri, alia vero quiescere. Et horum rursus aut ea, quæ mouentur semper moueri, & quæ quiescunt, quiescere, aut omnia æquè apta esse moueri & quiescere, aut id quod restat & tertium est. Eorum enim, quæ sunt, alia immobilia esse semper contingit, alia semper moueri, alia vtroque participare, quod quidem nobis dicendum est. In hoc enim eorum omnium, quæ dubitantur, solutio posita est, & huiusce tractationis nobis est finis. a Omnia igitur in quiete esse existimare, & sensu posthabito rationem eius inuestigare cogitationis est bebetudo.

Et

Text. 22.

Text. 2.

Legit, si placet, hoc loco D. Thomam explicantem quo pacto artes omnes, & scientiæ motu  
 utantur.

b Dicere autem cuncta) Ut superiores philosophi in quiete & immobilitate, sic Heracli- Heracliti, &  
 tus & Cratylus in perpetuo motu cuncta posuere. Itaque ille negabat eundem fluvium tras- Cratylus parax  
 iri bis posse: hic ne semel quidem eundem transiri posse contendebat. Similitaque pro- doxa:  
 nuntiabant res ceteras perenni fluxu, & agitato volui etsi id sensus nostros effugiat. Qua de re

Et de toto aliquo non de parte est controuersia: nec solum est  
 aduersus philosophum naturalem, sed aduersus omnes, ut ita  
 dicam, scientias & opiniones, propterea quod omnes motu  
 utantur. Præterea ut instantiæ contra principia in disputatio-  
 nibus mathematicis ad mathematicum nihil attinent, in cere-  
 risq; simili modo, ita nec id, quod nunc dictum est, ad natura-  
 lem. Hypothesis enim est naturam motionis esse principium.

b Dicere autem cuncta moueri est quidem propemodum æquè  
 falsum, minus autem hoc à methodo alienum. Nam quanquam  
 ut motus sic & quietis principium in naturalibus natura posi-  
 ta est, attamen naturale est motus. Atque aiunt nonnulli non  
 alia quidem eorum que sunt moueri, alia non, sed omnia &  
 semper, at nostrum sensum id latere. Quibus, etsi non distin-  
 guant, quoniam motu, an omnibus dicant, non est difficile oc-  
 currere. Nam nec accretio nec imminutio continenter fieri po-  
 test, sed est & medium.

c Est autem hic sermo ei similis, quo  
 guttam consumere, & que è lapidibus pullulant, eos diuidere  
 dicitur. Non enim si tantum abrasit, aut abstulit gutta, antea  
 etiam dimidium in dimidio temporis, sed ut in nauis tractu, sic  
 tantum tot guttæ mouent. Earum autem pars tempore nullo  
 tantum. At id quidem, quod ablatum est in plura diuiditur, sed  
 nihil ipsorum seorsum est motu, at totum simul. Patet igitur  
 non necesse esse aliquid semper abire, quod infinita decretio di-  
 uidatur, sed totum interdum abscedere. d Similiter autem  
 & in quavis alteratione. Non enim si idem, quod alteratur,  
 infinite potest diuidi, idcirco & alteratio, sed simul fit sepe,  
 ut coagulatio. Præterea cum quispiam egrotauerit, necesse est  
 tempus esse, in quo sanabitur, nec in temporis termino mutari.  
 Ad sanitatem autem, & non ad aliud moueatur necesse est.

Quare alterari continue dicere, rebus admodum perspicuis est  
 contradicere. In contrarium enim est alteratio. Atque etiam  
 lapis nec durior fit, nec mollior. Ac in latione admirabile est,  
 cum lapis deorsum fertur, aut in terra manet, latere. Præterea  
 terra & aliorum vnumquodque in proprijs locis necessario ma-  
 nent, & violentia ex eis mouentur. Si igitur ipsorum aliqua  
 in proprijs sunt locis, ne loco quidem moueri omnia necesse  
 est. His itaq; & alijs eiusmodi quis ductus, non posse aut sem-  
 per omnia moueri, aut semper omnia quiescere crediderit.

f Nec  
 intermissi dno fiat, sed potest extrema gutta communi opera, ac vi præcedentium, que lapi-  
 dem emollicebant, eam remotionem exequi: sicuti mille homines nauem communis viribus  
 per aliquod spatium trahunt, quam singuli per se trahere non possunt. Quod de aque gut-  
 tis dictum fuit, asserendum est etiam de arbuscula. Non enim necesse est, t toto aliquo tempore  
 tecontinenter saxum diffindat.

Plato in Cratylis; Aristoteles li. 4. Me-  
 taph. cap. 5. Hanc  
 vero assertionem in  
 præsentia confutat  
 enumerando om-  
 nes motuum spe-  
 cies, quibus nihil  
 perpetuo effici pos-  
 se demonstrat.

c Est autem hic  
 sermo) Probat mo-  
 tum accrementi &  
 decementi non esse  
 continuu quasi qua-  
 titas, que accedit, di-  
 uidi potest secundu  
 tempus, ita ut in hac  
 temporis parte ali-  
 qua noua portio men-  
 ti accedat, & in subiequenti  
 & in subsequenti  
 tertumpi.  
 Motus accre-  
 menti & de-  
 crementi in-  
 tertumpi.

gutte lapide  
 & cauentes  
 que saxis innascun-  
 tur, & ex ijs pullu-  
 lant. Non enim hu-  
 iusmodi excauatio  
 aut scissio continua  
 est: siquidem non  
 oportet singulas gut-  
 tas aliquam particu-  
 lam detrahere, ita  
 ut detraha absq;  
 ut detraha absq;

Arbuscula sax-  
 xa diffindens

**d** Similiter autem & in quavis } Quod de accretione & imminutione demonstravit, idem nunc de alteratione concludit, videlicet res non perpetuo alterari. Atque in primis docet alterationem non dividi in infinitum ratione mobilis, quasi in vna parte temporis, oporteat illius partem alterari, deinde aliam, sicque infinite procedendo; cum oppositum videre liceat in eo, quod coagulatur, vel congelascit, quod totum simul concrefcit. Deinde probat institutum, quia cum om

Omnis alteratio est a contrario in contrarium.

Conciliantur loca Aristotelis.

nis alteratio a contrario soluat, & in contrarium desinat, palam veritati contradicit qui res perpetuo alterari autumat, ac si alteratio deficientem naturam non haberet.

Aduerte non pugnat hæc cum ijs que libro sexto tradita sunt, videlicet, motum, formam, mobile, & tempus eodem modo continua & diuidua esse: ex eo enim quod aliquod subiectum secundum oes partes simul, hoc est eodem tempore alteretur, & non alia, atque alia pars infinite ante aliam; haudquaquam predicta cõtinuitas, sectione impeditur; cum ad huc alteratio recipiatur in subiecto, eiusque diuisione fecari possit.

**e** Ac in latione } Perpetui motus assertores aiebant licet continenter omnia agerentur; id tamen nostrum sensum effugere. Hos

Corporum naturalium quies perennitatem lationis confutat.

coarguit propterea quod etsi fortasse alij motus oblitescere queant, de eo tamen, qui ad locum tendit, nequaquam id affirmari potest. Item quia Physica ratio palam conuincit elementa in natiuis, ac proprijs sedibus suo pte ingenio quiescere, nec inde nisi extrinsecus illata vi abduci. At si aduersariorum dogma veritati consentiret, oporteret ea in quouis loco indiscriminatim moueri.

**f** Nec vero quiescere } Explo dit membrum aliud tradite diuisionis, nimirum, omnia que mouentur, moueri semper, & que quiescant semper quiescere. Primum quia experimur uonnulla esse, que per vices ex quiete ad motum, & ex motu ad quietem transeunt. Deinde quia dantur motus violenti, qui esse nequeant nisi eadem res nunc consistant, nunc ciantur. Tertio quia nullus est interitus, aut generatio; quando quidem moueri, quoddam gigni, & interire vocamus, quatenus id quod gignitur mutatur in aliquid, & quod interit, mutatur ex alio quo.

**f** Nec vero quiescere aliqua semper possunt, alia semper moueri; nihil autem alias quiescere & alias moueri. Dicendum vero est esse non posse, ut in his que ante sunt tradita. Eas enim, que dictæ sunt, mutationes in ijsdem fieri conspiciamus. Rebus præterea manifestis aduersatur qui in controuersiam hoc reuocat. Nec enim accretio, nec violenta erit motio, nisi quod antea quiescebat præter naturam moueatur. Generationem sane hic sermo & interitum tollit. Fere autem & ipsum moueri, fieri quoddam & interire omnibus videtur. In quod enim quidpiam mutatur, id fit, aut in eo: ex quo vero mutatur, id interit aut hinc. Quare constat alia quidem moueri aliquando, alia quiescere. **g** At vero omnia aliquando quiescere, aliquando moueri existimare ad olim dictas rationes adiungendum est. Idem autem, quod prius, principium rursus sumendum est post hæc, que nunc sunt definita. Aut enim omnia quiescunt, aut omnia mouentur, aut aliqua quiescunt, aliqua mouentur. Et si eorum que sunt alia quiescunt, alia mouentur, necesse est aut omnia aliquando quiescere, aliquando moueri, aut ex eis alia semper quiescere, alia semper moueri, alia interdum quiescere, interdum moueri. Non posse igitur cuncta quiescere dictum quidem prius est, sed nunc etiã dicamus. Nam etsi vere ita res habet, ut quidam aiunt, id quod est infinitum esse atque immobile, non tamen sensu ita conspicitur, sed eorum, que sunt, multa mouentur. **h** Si igitur opinio falsa, vel omnino opinio sit, motus quoque est. Atque etiam si imaginatio sit: etsi de quibusdam interdum hoc modo, interdum aliter videatur. Imaginatio namque & opinio motus quidam esse videntur, sed hæc considerare, & eorum querere rationem, circa que melius affecti sumus, quam ut ratione indigeamus, eius est, qui quod melius deteriu est, & quod credibile est, & non credibile, principiumque & non principium male queat diiudicare. Æque autem fieri non potest, ut omnia moueantur, aut alia quidem semper moueantur, alia semper quiescant.

Text. 25.

Text. 26.

g At

g At verò omnia } Excludit secundum membrum secundę diuisionis, omnia interdum  
 quiescere, interdum moueri; quam ait refelli posse rationibus, quę supra ad alia membra reij-  
 cienda adductę fuere. Deinde repetita diuisione confutat primum membrum, quod iam im-  
 pbarat, videlicet omnia quiescere. Etenim, si quis cōcedat verū esse quod Melissus aiebat, id quod  
 est infinitū esse, ac motis expertis, id tamen sensui repugnat, cū palā experiamur multa moueri.

Coarctat  
 Melissi dog-  
 ma

h Si igitur opinio falsa } Ex eo quod aduersarij motum negant, probari posse inquit mo-  
 tum dari, sicque nō  
 Vno enim argumento satis est, quod horum omnium fa-  
 ciat fidem. Nā aliqua videmus aliquādo moueri, aliquādo qui-  
 escere. Quamobrē cōstat æque fieri nō posse, vt omnia quiescāt,  
 & oīa cōtinenter moueātur, perinde atq; vt aliqua semper mo-  
 ueātur, aliqua semper quiescāt. Restat igitur cōtemplandum,  
 vtrū vniuersa eiusmodi sint vt moueantur & quiescāt, an alia  
 quidē hoc modo, alia sēper quiescant, & alia semper moueātur.  
 Hoc enim demonstrandum est.

tum dari, sicque nō  
 omnia quiescere.  
 Nam si motus nō  
 est, certē opinio,  
 qua motū esse ap-  
 prehendimus, falsa  
 erit; atqui opinio  
 falsa, & omnino  
 quęuis opinio siue  
 imaginatio, mo-  
 tus quidam est (sal-  
 tē latē sumpto mo-

Qui rationē  
 querūt in ijs,  
 quę sensui pa-  
 tent.

tus nomine } igitur dum motum negant, motum inducunt. Deinde monet rationē velle  
 querere in ijs, quę sensui, & experientia magis conspicua sunt, quam vt ratione comprobari  
 queant, cuiusmodi est dari in natura motum, hominum esse de rebus non rectē iudicantium.  
 Hinc perspicuis verbis refutat secundum membrum primę diuisionis, & primum secundę

#### Capitis quarti explanatio.

Mouentium a igitur } Vt ostendat dari vnum perpetuum motum, & vnum pri-  
 mum motorem motus omnis, expertem, aliquanto altius ducto principio tri-  
 plicem diuisionem mouentium, & mobilium tradit hoc loco. Prima est. Eorū,  
 quę mouent aut mouentur, alia per accidens, alia per se aut mouent aut mouen-  
 tur. Ea inquit mouere, aut moueri per accidens, quę insunt in ijs, quę mouent, aut mouen-  
 tur, vt candidum inherens Socrati, sub quo membro comprehendit etiam id, quod ratione  
 partis mouet, vel mouetur: licet id initio libri tertij fecerit distinctum membrum, aēs tri-

Tripartita rā-  
 tio mouenti-  
 um, & mobi-  
 lium.

#### CAP. III.

Mouentium a igitur & eorum quę mouentur alia ex  
 accidenti, alia per se mouent & mouentur. Ex accidē-  
 ti quidem, quęcunq; his insunt, quę mouent & mo-  
 uentur, & quęcunq; per partem. Per se autem quę non ex eo,  
 quod mouenti, aut ei quod mouetur, insunt, nec quod eorum  
 vlla pars aut moueat, aut moueatur. b Eorum sane quę per  
 se alia à se, alia ab alio, & alia quidem natura, alia vi & præ-  
 ter naturam. Id enim quod à se mouetur natura mouetur, vt  
 animalium vnum quodq; cum ipsum à se animal moueatur.  
 Ea vero natura dicimus moueri, quorum motionis principium  
 in eis est. Quare totum quidē animal natura se mouet. Verū  
 corpus tum natura, tum præter naturam potest moueri. Inter-  
 est enim tali, an tali cieatur motu, & ex quo constet elemēto.

fariā aliquid mo-  
 uere, aut moueri,  
 per se, ex acciden-  
 te, & per partē. Ea  
 verò per se mo-  
 uent, aut mouen-  
 tur, quę opposito  
 modo affecta sūt:  
 hoc est non quia  
 in alijs insunt, nec  
 quia secundū par-  
 tem ita se habent.

b Eorum sane  
 quę per se } Secū-  
 da diuisio est. Eo-  
 rum quę per se, &  
 non ex accidente  
 mouētur, alia mo-  
 uentur à se, alia ab

Quę à se mō-  
 uentur, secun-  
 dum naturā  
 moue. i.

alio, alia secundū naturam, alia præter naturam. Ea verò, quę à se mouentur, secundum na-  
 turam moueri inquit, quando quidem sūc motus principium in se cohibent, vt animantes:  
 sicuti ea quę præter naturam ciuntur, ab externo motore aguntur. Docet tamen licet animal  
 beneficio motricis virtutis ipsi ingenitę naturaliter moueatur; tamen si prædominantis ele-  
 menti ratio habenda sit, posse tum naturaliter, tum præter naturam ferri. Naturaliter, si ten-  
 dat quo eiusmodi elementum inclinat: præter naturam, si aliò deducatur. Nam v. g. cor-  
 pus humanū, quia in eo terre pondus præuallet, naturali impetu deorsū vergit, violento sursū.  
 Quod si aliqua essent aëria animalia, vt Platonici quidam ponebant, eorum ascensus natura-  
 lis esset, descensus verò contra naturam.

Aëria animā  
 Platonico

Ecce

c Eorum



e Eorum autem, quæ mouentur ab alio } Tertia diuisio est ex ijs, quæ ab aliò motura accipiunt, alia naturaliter, alia præter naturam mouentur: naturaliter mouentur inferiora deorsum: præter naturam, ac motu uiolento superiora in imum, inferiora in superum locum. Inter illa uero, quæ præter naturam mouentur, numerat partes animalium quatenus interdum ob præposterum situm, vel inordinatum mouendi modum, aliter quam natura postulat, feruntur, ut si quis manibus ambularet, aut tibias in anteriorem partem flecteret.

**Omne quod mouetur, ab alio moueri.** d Ac maximè quidem } Accedit ad demonstrandum omne, quod mouetur, ab alio moueri. Ac primùm conspicuum esse ait omne, quod præter naturam mouetur, moueri ab alio: quod enim ad eum modum cietur, ab aliquo externo principio agitari solet. Hoc autem di-

uersum esse à re quæ mouetur, nemo ambigit. Sed idè quodque notum esse inquit ijs, quæ interno principio secundum naturam aguntur, hoc est, in uiuentibus, hæc enim ab alio moueri constat: licet quonam modo ab eo, quod mouet, distinguantur, haud satis manifestum sit. Videri tamen animaleo pacto se habere, quod nauis, quæ cieri à se dicitur, propterea quod à naua, quem

**In animantibus differt id quod mouet ab eo, quod motum recipit.** in se continet, mouetur: atque ita id, quod in animantibus motionem affert, & quod eandem recipit, diuersa esse, ut nauem, & nauam.

**Dubitatio de motu grauium & leuium.**

e Maximè uero } Dubitationem esse ait circa membrum tertie diuisionis, in quo continentur ea, quæ ab alio naturaliter moueri dicuntur, propter graua & leuia, cum naturalia loca petunt. Etenim quod ab interno principio non

creantur, ea ratio probat, quia ab se moueri, uitæ & animantium proprium est: graua autem & leuia, quæ talia sunt, non participant uitam. Deinde quia quod ab se mouetur, præsertim more animantium, in sua potestate habet quiescere & in contrarias partes ferri, quod grauibus & leuibus non conuenit. i ostremò quia perfecte continua, & quæ constant patibus similis nature, & rationis; cuiusmodi sunt graua & leuia, non habent partem unam integram quæ motum edat, alteram quæ recipiat: quod in ijs, quæ ab se mouentur, requiritur. Hic aduerte, cum bruta animantia dicuntur posse per se in medio motu stare, id non ita accipiendum, quasi perseverante in eis eadem apprehensione, & iudicio quale in ipsis cernitur.

ceteris

e Eorum autem quæ mouentur ab alio alia mouentur natura, alia præter naturam. præter naturam quidem ut terra in superum locum, & ignis in inferum. Partes etiam animalium ob situm & modos motionis plerunq; præter naturam mouentur.

d Ac maxime quidem ab aliquo moueri, id quo mouentur in hisce manifestum est, quæ præter naturam mouentur, propterea quod constat ab alio moueri. At post ea quæ præter naturam ex his quæ natura, illa quæ à se ipsis, ut animalia. Non enim hoc absurdum est, si ab aliquo moueantur, sed quonam pacto id quod mouet & id quod mouetur distinguere oporteat. Nam uidetur ut in nauibus, & his quæ natura non constant, ita & in animalibus id quod mouet & id quod mouetur diuisa esse, atque hoc modo totum se ipsum mouere. e Maximè uero in dubium reuocatur eius, quæ tradita est, ultima diuisionis reliquum membrum. Nam eorum quæ ab alio mouentur alia posuimus præter naturam moueri: alia uero opponenda restant, quoniam natura. atque hæc sunt quæ afferunt dubitationem à quonam mouentur, ceu graua & leuia. Hæc enim ad opposita loca ui mouentur, ad propria uero in superum naturaliter id quod leue, in inferum id quod graue. A quo autem moueantur nondum constat, perinde atque cum præter naturam mouentur. Ipsa enim à se ipsis dici non potest, cum hoc sit uitale, & animantium proprium: atque etiam ex se stare possent, ueluti si ambulandi sibi sit causa, erit etiã non ambulandi. Quare si in igne positum esset ut sursum ferretur, in eodem quoque esset positum ut deorsum. Absurdum quoque est si ipsa se mouent unica à se ipsis cieri motione. Quæ etiam fieri potest, ut continuū quid copulatum uè se ipsum moueat. Nam quo unū est & continuū non tactu, hoc passione uacat. Quæ uero separata sūt, ea ratione aliud agere aliud pati est aptum. Nec ergo horum quicquam se mouet ut quæ sint copulata nec aliud ullū continuū: sed quod mouet & quod mouetur in uno quoque diuisum esse est necesse.

Quod

Text. 28.

Text. 29.

Text. 30.

Text.

Text.

terisque circumstantijs in eorū potestate fit, cursum inhibere; hoc enim ijs tantū conuenit, quē liberē & ex delectu operantur: sed eatenus dici posse continere cursum quatenus fieri potest v<sup>t</sup> ab apprehensione & iudicio rei, quam appetebant, cessent, eoque cessante non viterius per-  
gant.

Bruta non hā-  
bere motū in  
sua potestate.

f Verum fit } Docuit proximē corpora vitæ expertia à se ipsis non moueri, & tamen moueri ab aliquo. Nunc ut à quo ciantur demonstrat, partitur mouentia in ea, quę vi, & in ea, quę natura mouent. Vi dicitur, exempli gratia, vectis mouere, cum eius interuentu pondus, quod suo-  
propte ingenio deorsum it, aliò defertur: calidum verò actu, ut ignis, naturaliter mouere dicitur id, quod potestatem habet ut caleseat, veluti lignum. Diuidit quoque mobilia in ea, quę natura talia sunt, idest, quę motionis suę principium in se habent, non ex accidente, sed

Quę vi mo-  
uent.

*Text. 31.* Quod intuemur in animæ expertibus, cum animatum quid-  
piam illa mouet. f Verum fit ut hæc quoque ab aliquo sem-  
per moueantur, quod manifestum fiet diuidentibus causas. Licet verò & in mouentibus ea, quę dicta sunt, sumere. Alia enim ex eis præter naturam possunt mouere, ut vectis, qui pondus mouere potest non natura. Alia natura, ut quod actu est calidum, mouere id potest, quod potestate calidum est. Atque eodem modo in huius generis alijs. Similiter mobile natura id est, quod potestate quale est, aut quantum, aut aliquo in loco, cum in se ipso tale habet principium & non ex accidenti. Esse enim idem potest tum quantum, tum quale, sed alteri alterum accidit, nec competit per se. g Ignis igitur & terra ab aliquo mouentur, vi quidem, cum præter naturam: naturaliter verò, cum potestate existētia, ad suas ipsorum proprias actiones. h Quoniam vero potestate esse multis modis dicitur, causa hæc est, cur manifestum non sit, à quo nam talia moueantur, ut ignis sursum & terra deorsum. Est vero is qui discit aliter potestate sciens, aliter is qui iam habet, & non contem-  
*Text. 32.* platur. Sæper autem cum actiuum & passiuum fuerint simul, id quod potestate est interdum fit actu. Exempli gratia is qui discit ex eo quod potestate est, aliud fit potestate. Nā qui sciētia est præditus, nec contem-  
*Text. 29.* platur, quodammodo potestate est sciens, sed non ut erat antequā disceret. At cum ita affectus est nisi quidpiam prohibuerit, agit & contem-  
*Text. 30.* platur: vel in contradictione erit, atque ignoratione. Similiter se habent hæc & in ipsis naturalibus rebus: frigidum enim potestate calidum est: cum autem mutatum est, ignis est, comburit vero, nisi quidpiam prohibeat & obstet. i Nō secus res se habet in graui & leui. Namque ex graui fit leue, ut ex aqua aer: hoc enim potestate erat primum, & iam est leue, protinusque ager, nisi aliquid impediatur. Actus autem leuis est alicubi esse, & sursum, prohibetur vero cum est in loco contrario.

per se; & in ea, quę natura non sunt talia, ut album Socra-  
tis, prout in maiorem tendit quantita-  
tem. Accidit enim ei, quod augetur, album esse.

g Ignis igitur } Statuit grauiā, & le-  
uia ab alio agi, vi quidem cum præter naturam ciantur: natura verò, cum ob potestatem qua prædita sunt, in actiones suas feruntur, seu cum actu sunt id, ad quod in potestate erant, incundo videlicet proprium motum, quo naturalia loca obtineant.

Grauiā & le-  
uia moueri  
ab alio.

h Quoniam verò potestate } Difficultatem cognoscendā a quoniam grauiā & leuia naturaliter mouentur, prouenire ait ex ignotatione modorum, quibus aliquid in potestate esse dicitur. Monet verò bifariā dici quidpiam esse in potestate. Vno modo ad actum primū; altero ad actum secundum. Est autem actus primus, ut ha-

Bifariam aut  
quid in potestate esse.

bitus scientiæ, à quo contemplatio oritur: secundus, ut contemplatio ipsa, quę ab habitu scientiæ proficiscitur. Docet ergo aliter se habere id, quod est in potestate ad actum primū; ut qui non dum habitum scientiæ possidet, aliter id quod est tantum in potestate ad actum secundū, ut qui iā habitum scientiæ præditus est, sed nihil contem-  
platur: hic enim nisi res aliqua impediatur, potest cum libuerit in actum prodire, ille non ite: quod etiā in naturalibus conspicitur. Nā lignū frigidū est in potestate ad duplicē actū: ad calorem, ut ad actum primū, ad comburendū, ut ad actum secundū. Vbi aduerte priorē potentiā dici tum remotam, tum essentialē,

Actus primus  
actus secundus.

Potentia essentialis, potentia remota.

Potentia accidentaria, potentia propinqua.

quia est ad formam; actum verò illi respondentem vocari actum primum: posteriorem potentiam dici tum propinquam, tum accidentariam, quia est ad operationem; actum autem qui ei respondet, nuncupari actum secundum.

i Non sicut res habet. Ad diluendam controuersiam de motu grauium, & leuium, vritur proposita distinctione eius, quod in potestate est, atque bifariam dici in potestate esse. Vno modo antequam sint genita; altero postea quam genita sunt. Nam terra, verbi gratia, antequam in aerem vertatur, est potestate aënis atque istiusmodi potestas est ad habendum actum primum, hoc est formam aeris. Postquam verò ex terra aer genitus fuit, est in potestate proxima ad motum sursum, quia si in infero loco sit, confestim ascendet, nisi quid aliunde obstat: & hæc potestas est in ordine ad actum secundum, videlicet ad motum, simulque ad naturalem sedem eius beneficio obtinendam. Addit ut se res habet ad motum localem, & locum, ita se habere ad alterationem, & accretionem, & ad qualitatē, & quantitatem.

Cur grauia & leuia in loca propria ferantur.

k Atqui & hoc queritur. Esto locus grauium & leuium sit ipsorum actus; querit tamen à quibusdam solet cur in ea tendant. Respondet causam esse, quia vnūquodque corpus habet aptitudinē ut alicubi tanquam in naturali sede consistat, ut nimirum in ea sese melius tueatur, hæc verò respectu leuium est locus superus, respectu grauium inferus.

l Multis autē mo-

dis. Inculcat rursus geminam illam potestatem, quam grauibus, & leuibus inesse dixit. Tum docet eum, qui remouet id quod impediēbat, ne grauia aut leuia in suum locum tenderent, partim non mouere illa; partim mouere: non mouere quidem per se, mouere autem ex accidente, ut qui reuellit columnam, qua tectum fulciebatur, vel pondus quo vter aere plenus intra aquam detinebatur, per accidens ijs corporibus motum afferre dicitur: quo etiam modo

Grauia & leuia non habere in se principem causam sui motus.

Concl. disputationis.

pila per accidens mouetur à pariete, à quo reflectitur, per se verò à proiectore. Vult ergo Aristoteles grauia & leuia cum in propria loca feruntur ab eodem deduci per se ad eiusmodi actum secundum ex potestate proxima, à quo ex potestate remota ducuntur ad actum primum, hoc est à suo generante, nec habere in se ipsis principem causam efficientem horum motuum. m Si ergo quæ mouentur. Ex superiori disceptatione colligit omne quod mouetur ab alio moueri; siquidem non ea tantum, de quibus superius actum fuerat, sed etiam grauia, & leuia ab alio moueri constat: per accidens quidem ab eo, quod motus impedimenta remouet; per se verò ab eo, à quo genita fuerat. Atque hoc quidem theorema, nempe omne quod mouetur ab alio moueri, demonstrauerat etiam Aristoteles initio libri septimi, etsi hoc loco accuratius, quod ab eo plerumque disputationes de motu Physico pendent.

*Hocq; similiter sese habet in quanto & quali. k Atqui & hoc queritur, cur grauia & leuia ad sua ipsorum loca moueantur. Causa autem est, quoniam alicubi apta sunt esse. Atq; hoc leui & graui esse, illud quidem supero loco hoc infero definitum. l Multis autem ut dictum est modis graue & leue sunt potestate. Nam cum est aqua, potestate quodammodo est leue: & cum est aer, adhuc potestate. Fieri enim potest, ut impeditum in supero loco non sit. Sed si id, quod impedit, amotum fuerit, agit, semperque sursum contendit: similiter & quale in actu tale mutatur: nam qui scit protinus contemplatur nisi quidpiam impediat: & quod quantum est extenditur, nisi quid obstiterit. Qui verò id, quod subest prohibet, dimouit, partim mouet partim non mouet, ut qui columnam subtrahit, aut ab vtre, qui est in aqua, lapidem dimouit: ex accidenti enim mouet: quemadmodum & pila reflexa non à pariete mota est, sed ab eo qui projecit. Nihil igitur horum ipsum se mouere, sed motus principium habere, non quidem mouendi neque agendi, sed patiendi manifestum est. m Si ergo quæ mouentur omnia aut præter naturam & vi mouentur, & quæ vi aut præter naturam mouentur, ea omnia ab alio atque ab alio: rursus eorum quæ natura, ea quæ à se ipsis mouentur, ab aliquo mouentur: item ea quæ non à se ipsis ut grauia & leuia (aut enim ab eo quod genuit & leue fecit & graue, aut ab eo quod prohibentia atque impediētia dimouit) omnia sane, quæ motu cientur, ab aliquo mouentur.*

Text. 33.

Vt Cl  
uqi in  
ment. f  
Parific  
in lib. c  
ridani  
Mairon  
2. d. 14. q.

Varias  
re opini  
refert, &  
futat Z  
ra 2. de  
ma ad ter  
Gregori  
2. d. 6. q. 1  
3. Rich. 1  
d. 14. q. 4.  
ta 2. prin

QVAESTIO

## QVÆSTIO I.

A QVO NAM MOVEANTVR COR-  
pora graua, & leuia, cùm in propria  
loca tendunt.

## ARTICVLVS I.

OPINIO EXISTIMANTIVM  
moueri ab se, eorumque argumenta.



Ut Clitho-  
uqi in com-  
ment. scholę  
Parisiensis hoc  
in lib. c. 4. Bu-  
ridani q. 4.  
Maironij in  
2. d. 14. q. 6.

Varias d̄ hac  
re opiniones  
refert, & con-  
futat Zima-  
ra 2. de ani-  
ma ad tex. 54.  
Gregorius in  
2. d. 6. q. 1. art.  
3. Rich. in 2  
d. 14. q. 4. cir-  
ca 2. princ.

Væ sunt in proposita quæstione celebriores senten-  
tiæ; altera Scoti in 2. d. 2. q. 10. Gregorij d. 6. q. 1. art.  
3. Ianduni hoc in libro. q. 12. Saxonix. q. 6. Augusti-  
ni Niphi in commentarijs super cap. 4. eiusdē libri.  
Achillini. 3. de elementis. q. 2. Abulensis. q. 224. su-  
per cap. 22. Matthæi; & aliorum asserentium graua,  
& leuia à se ipsis, vt à principe sui motus causa ef-  
ficienter moueri; quæ sententia hunc in modum comprobatur. Pri-  
mò cùm elementa ad propria loca tendunt, veluti cùm ignis in su-  
blime euolat, non mouentur, vt opinati quidam sunt, à loco naturali  
eo modo, quo ferrum à magnete; cùm locus nullam habeat allicien-  
di vim, nullam ve attractoriam qualitatem ex se fundat. Non à me-  
dio, vt alij putauere; siquidem medium æquè se habet ad omnē mo-  
tum, nec magis ad hanc, quàm ad illam partem euocat. Sed neque à  
generante, vt mox patebit. Superest ergo vt à se ipsis intrinsecus mo-  
ueantur. Quòd non à generante ostenditur. Primum, quia sæpe ac-  
cidit vt dū ignis, verbi gratia, in suū fertur locū, iā ignis ali⁹, à quo p-  
gnatus fuerat, interciderit. Cū igitur effect⁹ in actu causā in actu de-  
poscat; vt est apud Aristotelem 2. huius operis, cap. 3. text. 37. &  
5. Metaphys. cap. 2. text. 3. fieri nequibit, vt ignis à generante mo-  
ueatur. Accedit quod mouentis relatio videtur realis esse, cùm non  
pendeat à mentis notione, ac nullo cogitante insit; quæ proinde  
non nisi inter extrema actu existentia versabitur. Quo fiet vt nihil  
possit actu, nisi ab eo, quod actu est, cieri.

Secundò. Cùm omnia elementa in se vicissim commeent, vt ex 2.  
de ortu, & interitu cap. 2. text. 8. constat: utique interdum graua à  
leuibus, leuia à grauib⁹ exoriri oportet; ergo si quodlibet à suo  
progenitore mouetur; nonnunquam leuibus descensus grauium;  
grauibus ascensus leuium; itemque virtutes horum motuum effe-  
ctrices

Sentētia Scō-  
ti & aliorū.

1. arg.  
Graua & le-  
uia non mo-  
uentur à loco.

Nec à me-  
dio.

Effectum in  
actu require-  
re causam in  
actu.

2. arg.

étrices ascribentur; quod dictu absurdum videtur; cum nihil id, quod caret, conferre queat.

3. arg. Tertiò. Motor corporea mole præditus non mouet nisi moueatur; estque primi mouentis proprium mouere non motum; vt 7. huius operis cap. 1. à text. 3. Aristoteles docuit: Atqui dum corpora graua & leuia motus suos ineunt, eorum progenitores plerunque non mouentur: non igitur illos motus ab his efficiuntur.

4. arg. Quartò. Si motus grauium & leuium esset à generante, ab eodem esset motus, quo corpora ad impediendum vacuum feruntur; cum natura non minorem ad hunc, quam ad illum motum rei genitæ propensionem indiderit; sed hic non ascribitur generanti, ergo nec ille.

5. arg. Argentum viuum aqua terrea, vel terra aqua. Quintò. Si graua & leuia mouerentur à generante, ab eo etiam moueretur argentum viuum, cum sit vnum e grauibz corporibus, vtpote aqua terrea, vel terra aqua: at quod non moueatur, ea ratio ostendit, quia motus inditus à generante, si vllus sit, eò videtur spectare, vt eius beneficio corpora locum acquirant, & in eo quiescant: at argentum viuum minime quiescit.

6. arg. Sextò. Non minus naturalis est corpori graui, & leui sua motio, quam igni calefactio, quam omnibus viuentibus functiones vitæ, quam animali motus cordis & respiratio, quam naturæ intellectuicæ appetitio finis; atqui hæc non sunt à generante; ergo nec motio illa grauium, & leuium.

7. arg. Postremò. Quicquid extrinsecus cietur, aut pellitur, aut trahitur, aut voluitur, aut vehitur, vt capite. 2. lib. 7. huius operis tex. 10. Aristoteles docuit; sed nulla harum mouendi ratio conuenit grauibz, & leuibz, dum loca naturalia capessunt, cum eorum motus naturales sint, hi vero omnes contra naturam. Non videtur igitur admitendum graua, & leuia à generantibus ad sua naturalia loca duci; sed potius motus sui causam intra se habere.

Hisce argumentis, vt alia prætereamus, hæc sententia confirmari potest. Quod si quispiam Scoto, & Gregorio præcipuis eius assertoribus Aristotelem opponat, cap. 4. huius libri disertis verbis affirmantem graua, & leuia non ab se moueri; occurrit Scotus ideo Aristotelem dixisse ea non moueri à se, quod non progrediantur more animalium quæ cum ex apprehensione, & appetitu agant, sistere se ipsa possunt in medio cursu, atque in oppositas locorum differentias mouere, quod grauibz, & leuibz minime conuenit. Gregorius verò sentit ea ratione dictum id ab Aristotele, quod oporteat eiusmodi corpora antequam moueantur extra natiuam sedem constitui adiniq; eis motus impedimeta, quod præstare per se ipsa nequeunt.

## ARTICVLVS II.

GRAVIA ET LEVIA NON A SE IPSIS,  
sed à generantibus, vt à principe causa moueri.

D. Tho.

**D**. Thomas tum alijs in locis, tum in 1. p. q. 18. art. 1. & ibidem  
 Caietanus, Magnus Albertus hoc loco tractatu. 2. capite 4.  
 Ferrariensis q. 9. & 1. contragentes. c. 97. Aegidius quodlibe-  
 to. 5. q. 16. Capreolus in 2. d. 6. q. vnica art. 3. alijque complures exi-  
 stimant grauia, & leuia cum naturalia loca petunt, effectiue, & prin-  
 cipaliter moueri à suis progenitoribus. Verum qui hanc sequuntur  
 partem in varias sententias abiire. Quidam omnes grauium, & leuiū  
 corporum motus (si tamen naturales sint, de his enim tantummodo  
 in hac disceptatione loquimur) generantibus ascribunt: alij non om-  
 nes; sed primum duntaxat; si nimirum contigerit prædicta corpora  
 extra naturalem locum gigni, moxque ad eum ferri. Præterea sunt  
 qui putent formam substantialem grauium, & leuium passiuè sese  
 habere ad eum motum; grauitatem verò, & leuitatem vt instrumen-  
 ta. Denique alij motum hunc & à forma substantiali grauium, & le-  
 uium, & ab eorum grauitate, & leuitate oriri censent; diuersa tamen  
 ratione, nempe à forma substantiali, vt à principali instrumento; à  
 grauitate, & leuitate, vt ab instrumento minus præcipuo.

Hæc controuersia tribus conclusionibus dirimenda est. Prima sit,  
 Grauia, & leuia cum in naturalia loca tendunt, non mouentur ab se,  
 vt à principe causa sui motus. Hæc ita probatur, Mouere se simpli-  
 citer, & vt principalem sui motus causam est proprium munus vitæ;  
 atqui elementa non viuunt; nequeunt igitur eo pacto sese mouere.  
 Maior est Aristotelis hoc in libro cap. 4. text. 29. & 1. de anima. cap.  
 2. text. 19. & libro 2. eiusdem operis cap. 2. text. 13. Itemque Plato-  
 nis. 10. de legibus, & in Phædro, vbi ita scripsit *ἡ γὰρ ἐξωθεν τὸ  
 κινεῖσθαι, ἢ ψυχῶν, ἢ δὲ ἐνδοθεν αὐτῶν ἐξ ἑαυτῆς, ἐμψυχῶν, idest*  
 cui forinsecus est moueri, id inanimatum est, cui vero intrinsecus si-  
 bi ex se, animatū). Denique vt Philosophorum axiomahabetur, mo-  
 ueri ab intrinsecis, esse quasi notam, & characterem, quo res vitæ par-  
 ticipes dignoscuntur, & à non viuentibus separantur; adeoque hoc  
 cōmuni sensu receptum est, vt, (quod præter alios aduertit D. Tho-  
 mas 1. lib. contragent. cap. 97.) res inanimas celeri aut perēni motu  
 agitas, quarum motores vulgus nescit, per similitudinem viuas nū-  
 cupemus, vt argentum viuum, aquam viuam.

Secundò confirmatur eadem conclusio, quia ex Aristotelico dog-  
 mate hoc in libro, cap. 4. text. 28. in omni corpore, quod ab se moue-  
 tur (intellige vt à causa effectrici principali) præter formam quæ est  
 principium actiuum quo motus; & materiam, quæ eiusdem princi-  
 pium passiuum est, duas oportet inesse partes inter se distinctas, qua-  
 rum vna mouens sit, altera mota, quod in animantibus patet, in qui-  
 bus pars vna, nempe cor, reliquum corpus agit, atque inde exteræ  
 partes motionem accipiunt. Cum igitur hoc in elementis minime  
 visatur, vtpote quorum partes homogeneæ, atque eiusdem omni-  
 no sunt rationis; nequibunt elementa ex se moueri. Ad hæc cum  
 Aristoteles capite proxime citato probare instituisset non omnia,  
 quæ

Assertores affe-  
 firmatiue par-  
 tis.

Disidium in-  
 ter eos.

Prima concl.

Aristot.  
 Plat.  
 Moueri ab se  
 proprium vi-  
 uentium.

Viuentes aquæ  
 vnde dictæ.

In omni cor-  
 pore se ipsum  
 mouente da-  
 ri partē vnā  
 motam, alterā  
 tamque mō-  
 ueat.

Lege etiā D.  
 Th. 1. p. q. 18.  
 art. 1.

quæ natura mouentur, intrinsecus agi; sed quædam ab externo motore: id ostendit ex motu grauium, & leuium, quin verò eo potissimum discrimine viuentia ab ijs, quæ vita carent, distinxit; quòd illa ab interno motore cieantur, hæc non item. Ex quo planum videtur corpora graua, & leua secundum Peripateticam disciplinam haudquaquam dici posse ab se moueri, nec ad rem esse Scoti, & Gregorij interpretationem.

Secunda conclusio.

Sit secunda conclusio. Graua, & leua quoties naturalia loca petunt mouentur à generante, vt à principe causa effectrice sui motus. Huius conclusionis astruendæ præcipua momenta sita sunt in explicanda ratione, ob quam graua, & leua à generantibus moueri censenda sint; in qua non parum interpretes laborant. Quidam huius rei causam putant quòd generantis sit ea tribuere, quæ ad perfectum statum rei genitæ pertinent, e quibus vnum est naturali, ac proprio loco potiri. Verum si ea causa est, cur non etiam viuentis accretio genitori tribuatur, cum ea quantitas, quam viuens per accretionem comparat, non minus ad naturalem eius perfectionem spectet, quàm locus ad naturalem perfectionem grauium, & leuium.

Quorundam ratio, quæ non sufficit.

Ratio aliorum.

Occurrunt proinde alij, motus grauium, & leuium veluti natiuas eorum proprietates esse: vnde quemadmodum proprietates, quæ à natura rei genitæ in ipso generationis momento necessaria emanatione fluunt, genitori tribuuntur (adeò vt si tunc risibilitas, verbigratia, diuina virtute impediretur, ne dimaneret, postea verò sublato impedimento flueret; adhuc à genitore tribui diceretur) ita prædictos motus effici aiunt à generantibus, vt pote qui & à forma grauium, & leuium oriuntur, sicuti risibilitas à forma humana; & omnes primo generationis instanti, in sua quasi radice, & fonte inchoantur; ita vti eiusmodi motus aliunde impediri contingat, summoto impedimento confestim sequantur.

Sed neque huiusmodi explicatio rei propositæ difficultatem omnino adimit. Quare addendum aliquid est, quo ratio ita compleatur, vt aduersariorum calumniam prorsus effugiat. Erit igitur hunc in modum enodanda, atque explicanda conclusio. Agens quod corpus aliud quod graue, aut leue progignit; in instanti generationis tribuit illi esse; ergo eidem etiam conferat necesse est quicquid ad naturalem illius dispositionem in eodem instanti pertinet; cum id sit velut essentiae corollarium, ac generationis complementum; sed ad naturalem dispositionem grauium, & leuium in eo puncto, quo generantur, sicuti & reliquo insequenti tempore, pertinet esse in loco naturali, vt perspicuum est; ergo hoc à generante contribuendum erit. Deinde agens, cui ex naturæ officio incumbit aliquid tribuere, debet (ne deficere in necessarijs videatur) conferre etiam quicquid via mediumve sit ad id obtinendum, & ad idem, si amitti contingat, recuperandum. Cum igitur ad genitorem attineat graua, & leua in naturalibus locis constituere, eiusdem quoque erit opem, ac mediū

Vera æ germana ratio cur graua dicantur moueri à generantibus.

exhi

exhibere, quo in ea ferantur, tum immediatè post generationem; si extra illa generentur; tum quotiescunque ab illis diluneta fuerint; cum in omnibus æqua sit ratio; atqui hoc medium, præter alia, est ipse corporum grauium, & leuium motus; ergo à generante efficiendus erit, eidemque attribuendus.

Hinc iam non difficile erit intelligere cur motus uiuentium genitori non ascribantur sicuti motus grauium, & leuium. Nimirum quia licet à forma, quam eis generans indidit, oriantur; non tamen sūt ad acquirendam naturalem dispositionem, aliquamvè perfectionē uiuenti in instāti generationis debitā, ad quā proinde à generante duci deberent. Nam ea quantitas v.g. quæ per accretionem accedit, nō debebatur rei uiuenti momento, quo genita est: nec item aquæ portio, ob quam animal ad fluuium contendit: quod similiter in alijs id genus motionibus consideranti facile apparebit. Itaque rerum uiuentium genitores suo munere absolutè perfuncti censentur, ubi primū genitis, & formam, & quæ eam consequuntur perfectiones largiti sunt; moxque uiuentia sibi ipsis relinquunt, vt per se propria munia administrent. Ob eamque rem Aristoteles in libro de animalium motu comparat animal ciuitati, quæ externo principe, à quo regatur, non eget; quia nimirum actiones vitales sic à uiuente exhibentur, vt iam à nullo externo motore obiri dicantur. Denique corroboratur eadem conclusio ex eo quia cum grauia & leuia, vt in prima conclusione ostendimus, sui motus auctorem in se non habeant, oportet vt aliunde ciantur. Quare cum non sit aliud, à quo cieri queant præter generans, consequēs est vt ab illo moueri existimāda sint. Accedit locuples, atque apertū Aristotelis testimoniū, qui vbi cunq; de grauiū, & leuiū motu differit, ea non à se sed à generantibus moueri palām edocet, vt hoc lib. text. 17. 29. 32. & lib. 5. cap. 2. text. 18. & 2. libro de cælo, capite 2. text. 9. & in libro de motu animalium capite 3.

Ex dictis nonnulla inferuntur consecutaria. Primum est. Omnes facultates, potentias, & affectiones, quibus res in instanti suæ procreationis per se adornantur, vt vim alendi, sentiendi, loco mouēdi; item etiam quantitatem, temperamentum aliaque eiusmodi, licet proxime à forma rei genitæ dimanent, attribuenda tamen esse, vt principali causæ, ipsi generanti, siue efficienti. Alterum est minus rectè sentire eos, qui non omnes grauium, & leuium corporum motus; sed eum tantum quo ciantur, dum extra locum naturalem genita ad eū primò feruntur, genitoribus ascribunt: cum superiora argumenta de omnibus indiscriminatim idem iudicium ferendum esse concludant. Tertium est. Id quod de leuium, & grauium latione pronuntiauius, intelligi etiam debere de motu, quo mista ex elementi dominantis vi naturaliter feruntur: itemque de ijs motionibus, quibus natiuæ qualitates quasi postliminio corporibus sponte sua redeūt, vt cum aqua ad suum frigus, aer ad propriam humiditatem amoto ex-

Cur motus uiuentium non attribuantur generanti.

Animal quasi ciuitas externa non principa non eget.

Primum consecutarium.

Mista cum vi dominantis elementi feruntur.



terno impedimento per se reducitur. Etenim in his omnibus eadem ratio est vt iam consideranti erit perspicuum.

## ARTICVLVS III.

GRAVIA ET LEVIA MOVERI  
à sua forma, & à grauitate & leuitate,  
vt à causa minus præcipua, & tan-  
quã ab instrumẽto generatium.

**E**gimus de principali causa motus grauium & leuium; superest vt de minus præcipua, & instrumentaria causa disceptemus. Sit tertia conclusio. Grauia, & leuia non habent in se principium passiuum duntaxat suorum motuum, sed mouentur effectiue à propria forma, vt à principali instrumento generantis, itemq; ab insita grauitate, & leuitate, vt à minus præcipuo instrumento eiusdẽ. Hæc conclusio asseritur, tum ab alijs, tum à D. Thoma partim in 3. d. 22. q. 3. art. 2. quæstiuncula. 1. & 3. contra gentes capite 23. partim in 1. 2. q. 36. art. 2. & si alibi oppositum censuisse videri posset, cuius tamen dicta conciliat Capreolus in 2. d. 6. q. 1. artic. 3. Probaturq; primum ex Aristotele docente 4. lib. de cœlo, cap. 3. text. 25. grauibus, & leuibus inesse principium actiuum suorum motuum.

Item quia cum grauia & leuia absente generante in naturalia loca tendant, necessario dandum est aliquod instrumentum ab eo relictum, cuius vi moueantur, hoc autem aliud esse non potest quam eorum forma substantialis, & quæ ipsam consequuntur grauitas, ac leuitas.

Rursum quod grauitas, & leuitas ad suorum corporum motus effectiue concurrant ex eo priuatim suadetur, quia huiusmodi qualitates nihil aliud sunt; quam virtutes motrices, seu potentie à natura datæ ad exequendum motum, sicuti intellectus ad actum intelligendi, voluntas ad actum volendi. Vnde Aristoteles. 4. de cœlo cap. 1. text. 2. dixit grauia, & leuia ζώπικρα hoc est incitamenta motus in se habere καὶ τὰ διεργετικὰ, hoc est fomites ad motus, hisce verbis grauitatem, & leuitatem designans. Postremo quod ad eundem motum ipsa forma substantialis grauium, & leuium, interuentu tamen motricium facultatum influat, ex eo ostenditur, quia cum ab illa grauitas, & leuitas dimanent (ab illa, inquam, vt quo: suppositum nãque est id, quod eiusmodi qualitates vt agēs quod imediatum ex se profundit) consequens est vt earum actus, seu motus, ipsi quoque substantiali formæ ascribendi sint; mediatè tamen, & vt causæ vniuersaliori. Manare autem grauitatem & leuitatem à forma grauium & leuium probat ea ratio, qua D. Thomas prima parte quæstione. 77. articu. 6. ostendit omnes animæ potentias ab eius

Tertia cõcl.

Eius asser-  
tes.

Cõfirmatio.

Grauitas &  
leuitas motri-  
ces facultates.Forma sub-  
stantialis gra-  
uiũ & leuiũ  
influit actiue  
ad motum.Mairon  
2. d. 3.  
6.

ab eius essentia fluere. Nam cum forma substantialis sit id, per quod res composita substantialem, & absolutum actum possidet; necesse est ut eadem forma ex se pariat, atque efficiat actus omnes accidentarios natiuos, propriosque subiecto, & qui naturæ ordine actum primum consequuntur.

At enim obiiciet quispiam. Cum generans ad pristinum frigus aquam reducit, non utitur ad id medio aliquo instrumento; sed eam reductionem per formam immediatè exequitur; ergo pari ratione, cum graua & leuia ad sua loca feruntur, eorum motus immediatè à forma, non autem à grauitate, & leuitate proficiscentur. Item Aristoteles quarto capite huius libri text. 32. apertè asseruit graua, & leuia non habere in se principium agendi, sed patiendi; ergo nihil grauibus, & leuibus inest, quod ipsorum motus efficienter administraret.

Hiscè obiectionibus hunc in modum occurrendum est: priori quidem; ideo grauibus, & leuibus inditam fuisse à natura motricè qualitatem distinctam à forma; quia cum ferri debeant ad naturalia loca, à quibus sæpe distant, quæq; ab alijs corporibus occupantur, oportuit ingenitam illis esse aliquam vim effectricem impulsus, qua medium percurrerent, difficultatesque in itinere occurrentes superarent; ac denique corpora locum ipsis debitum occupantia pellerent. Quod cum in motu, qui ad qualitates tendit, minimè contingat, non oportuit vllam dari aquæ facultatem, qua se in pristinum frigus vindicaret.

Erit tamen qui probare contendat etiam aquam insita aliqua virtute, aliove medio ad prædictam reuocationem uti, similiterque alia elementa cum repetunt naturalem statum suarum qualitatum. Eadem namque in ijs ratio videtur esse, atque in compositis; cum natiuum temperamentum recuperant. Ac quod hæc tali virtute intermedia prædita sint suadet, quia cum hostia consecrata ultra suam temperiè à corpore circumfuso frigeat, deinde eo amoto per se ad natiuum calorem redit; ea reditio non oritur à forma panis, quæ iam ibi non est; nec verò à quantitate, quæ nullam habet efficientiam: superest ergo ut oriatur ab aliqua virtute panis ibi relicta, dataque ad id ministerium à natura. Huic dubitationi, omisis aliorum responsionibus, occurrendum est, hostiam consecratam reuocari immediatè diuina virtute ad prædictam temperiè, Deo id ita instituyente, ac præstante, ut eiusmodi actiones eo modo procedant, ac si ibi esset forma & materia panis. Neque id nouum omnino, au distinctum miraculum reputandum est; cum id Deus ratione antecedentis, præcipuique miraculi, quo substantia panis in corpus CHRISTI conuersa est, efficere decreuerit: sicut etiam cum vermibus ex speciebus consecratis gignitur, ex eodem decreto materiam ipse supponit siue de nouo creatam; siue eandem, quæ abolita fuerat, reproductam;

Dddd 2 siue

Obiectio. 1.

Obiectio. 2.

Dilutio. 1.  
Obiectio.

Oppugnatio  
solutionis.

Refutatio  
oppugnationis.

siue ab alio corpore ascitam; ex qua vnà cum substantiali forma, quam agēs naturale inducit, vermis coalescat; vti primo huius operis libro diximus.

Cap. 9. q. 4.  
art. 3.

Sol. 2. obie.

Posteriori obiectioni satisficit dicēdo cū Aristoteles negat inesse grauib; & leuib; principium mouendi, loqui de principio seu causa principali efficiente; concedere tamen inesse eis principium patiendi, seu recipiendi motum principale; quod est ipsorum materia prout habet actum formæ. Quod nostræ sententiæ minimè aduersatur.

### ARTICVLVS III.

## DILVNTVR ARGVMENTA INITIO

quæstionis proposita.

Effectus actu  
requirit cau-  
sam in actu  
qui sensus.

**A**ccedamus nunc ad explicanda argumenta primi articuli, quæ tametsi probabilia sint, non tamen concludunt. Ad primum concessa maiori propositione, negāda est minor, ad cuius priorem confirmationem dicendum vtcunque se habeat generans, siue absens, siue præsens sit; siue interierit, siue non; semper ab eo corpus graue, & leue moueri. Illud enim Aristotelis, effectus in actu requirit causam in actu, non ita accipiendum est quasi oporteat dum existit effectus existere actu causam. Id enim falsum esse patet in causa etiam finali, cuius realem existentiam præit effectus, vt deambulatio sanitatem. Est ergo vera illius sententia, quatenus significat effectum, dum actu editur, exposcere causam actu causalitatem exercentem. Adde etiam licet non existat genitor, existere tamen formam, & motricem virtutem, quam rei genitæ indidit, quarum interuentu, & quasi vicaria opera motum exequitur. Nec id, quod de relatione mouentis adijcitur, quicquam efficit. Non enim omnis relatio mouentis ad rem motam realis est, aut nullo intellectu cogitante existit; sed ea tantum, quæ inter extrema actu existentia versatur seruatis cæteris, quæ ad id requiruntur, cōditionibus, de quibus alibi.

Non omnis  
relatio mouē-  
tis ad rem mo-  
tā realis est.

Causa æqui-  
uoca.

Ad secundum dicēdum est omne generans principale grauis, aut leuis, graue aut leue esse, vno è duobus modis; vel actu & formaliter, si sit causa vniuoca, vt cū ignis ignem producit: vel potestate & virtute si sit causa æquiuoca, vt cū sol radiorū coitione ignē efficit. Dicitur autem sol virtute grauis, sicuti & virtute calidus; quia vim habet producendi illud elementum, siue mistum, cuius formam grauitas necessariò consequitur. Quod verò aiunt nihil id, quo caret, tribuere; intelligitur de re, quæ id quod tribuendum est, neque actu, nec potestate in se cohibet. Quare absurdum non erit grauia moueri ab ijs, quæ non sunt actu grauia, vel leuia ab ijs, quæ actu leuia

De ha  
Scal. Ex  
105, in  
n. 1.

uia non sunt; dummodo id sint virtute & potestate.

Pro explicatione tertij argumenti sciendum propositionem illā, mouens corporeum non mouet nisi moueatur, si absolutè, ac secundum eū sensum, quem præsefert, sumatur, falsam esse; cum magnes immotus ferrum ad se trahat. Est ergo ita intelligenda, vt nullum mouens corporeum moueat secundum locum, iniiciendo immediatè, ac per se impulsū rei motæ, quin ipsum moueatur. Magnes autem non eo pacto ferrum mouet, sed alterando prius medium, ei que imprimendo attractoriam qualitatem. Vel, dicitur agens corporeū non mouere immotum, id est, nisi actu vel potentia moueatur: quod p̄o certo habetur. Quin verò solius primi ac supremi mouentis proprium est nullum omnino motum, aut mutationem subire posse, sed sic omnibus influere, vt stabilis manens det cuncta moueri. Hisce modis explicata Aristotelis propositio firmam retinet veritatem, quantumlibet ei Theophrastus restiterit in eo opere, in quo locos ab Aristotele antè tractatos discussit. Cuius argumenta lege si placet apud Themistium in paraphrasi lib. 1. de anima cap. 17. & apud Zimaram in theorematis, propositione 94. Hinc perspicua iam est nostri argumenti solutio. In primis enim generantia non mouent corpora graua & leuia imprimendo eis immediatè impulsū. Deinde non ita mouent, vt subire ipsa motum nequeant.

Ad quartum, nō minus naturale esse grauibus, & leuibus ad impediendum vacuum accurrere, quàm in suum proprium locum ferri. Siquidem dum vacui metu cientur, feruntur ad acquirendam dispositionem propriam, sibi que naturalem, & in instanti generationis debitam, nimirum coniunctionem cum reliquis partibus vniuersi, proinde que istiusmodi etiam motio ad generans referri debet.

Ad quintum respondendum est argentum viuū moueri à generante, non tamen loco consistere, quia impeditur ob concursum causarum perennem illam agitationem efficientium. Cuius quidem rei præcipua causa est grauitas adiuta humiditate, fluxibilitate, & figura rotunda. Nam grauitas (quæ tanta argento viuo insidet, vt omnia metalla, auro excepto, in eo supernatent) propellit globum deorsum, qui cum in plano stabilem situm non inueniat, in hanc & illam partē voluitur, vt accidit sphaeræ lignæ in planum demissæ: grauitatem autem cohibet humiditas quodammodo fugiens contactum corporis sicci, faciens que vt partes colligantur in globum; fluxibilitas verò, & figura rotunda impediunt consistentiam.

Ad sextum dicendum non magis naturale esse corpori graui, & leui in locum sibi à natura præscriptum contendere; quàm igni calefacere; id tamen non sufficere vt calefactio generanti ascribi debeat; cum hæc non sit ad acquirendam dispositionem igni naturalem modo antè explicato; quod de omnibus vitæ functionibus similiter dicendum erit. Dubitatio tamen de motu cordis, difficiliorem habet explicatum. Nam D. Thomas opusculo. 35. Capr. in 2. d. 7. q. 2. ar. 3.

Quo scilicet verum sit nullum corpus mouere nisi moueatur.

Theophrastus

Dū metu vacui mouentur corpora mouentur à generantibus.

De motu argenti viui.

Nam motus cordis sit à generante

Fer

De hac re Scal. Exercit. 101. in Card. n. 1.

Cor quasi se-  
paratum ani-  
mal.

Ferrariensis ad c. 97. li. 1. cōtra gētes alijq; nōnulli cōcedūt eū à genē-  
rāte esse. Verū qui hāc sequūtur opiniōnē, nō est cur nō idē quoq;  
de nutritione sentiant, quod tamen ijdem negant. Nam sicuti mo-  
tus cordis, ita & nutritio animanti naturalis est, eiq; ad tuendam  
vitam necessaria. Quare dicendum potius videtur motum cordis,  
cū non sit saltem per se primò ad natiuam illam, quam diximus,  
dispositionem comparandam; non à generante, sed ab ipsa anima, vt  
à principe causa proficisci. Quæ videtur esse expressa Aristotelis sen-  
tentia ad calcem libri de motu animalium, vbi de cordis motu dispu-  
tans, ait cor esse quasi separatum animal, quod per se viuit, ac moue-  
tur; ibidemq; docet animantium operationes, è quarum numero  
haud dubiè est motus cordis, neutiquam ab externo motore pen-  
dere.

Motus volū-  
tatis in finē  
nō est à Deo  
vt motus gra-  
uium & leui-  
um à gene-  
rante.

Quod verò ad appetitionem finis attinet, Aegidius in. 2. d. 25. q. 5.  
Capreolus, & Hispalensis eadem distinctione. q. vnica, Caietanus in  
commentarijs. 1. 2. q. 9. arti. 4. Ferrariensis 3. contra gentes ad caput  
89. alijq; Diui Thomæ sectatores concedunt sicuti grauia, & leuia  
à suis genitoribus, ita voluntatem respectu finis ab auctore naturæ  
moueri. In qua opinione videtur esse D. Thomas. 1. par. quæst. 105.  
arti. 4. & quæst. 106. arti. 2. & loco citato contra gentes. Aduersaria  
tamen sententia, quam Henricus Gandauensis quodlibeto. 9. quæst.  
5. & Scotus in 2. dist. 25. quæst. vnica, alijq; complures sequuntur,  
amplectenda est, dicendumq; nullam voluntatis, aut intellectus  
actionem ab externo auctore oriri eo pacto, quo motus grauium &  
leuium; tum quia functiones vitales non nisi à viuento sunt, vt ex  
Aristotele, & communi Philosophantium placito docuimus; tum  
quia intelligendi, & volendi actus non ordinantur ad obtinendam  
naturalem subiecti dispositionem, & conseruationem modo iam sæ-  
pius explicato.

Motus gra-  
uiū & leuiū  
ad pulsionē  
geuocatur.

Ad vltimum dicendum motus grauium, & leuium posse reduci  
ad pulsionem, vt aduertit D. Thomas ad caput 2. lib. 7. huius operis;  
generantia enim quodammodo dicuntur pellere grauia & leuia,  
dum eis grauitatem, leuitatēq; conferunt, qua ad sua loca tendant.  
Nec verum est omnes motus, qui ab externo motore fiunt esse præ-  
ter naturam, vt ex 4. cap. huius libri constat. Non enim ad violen-  
tiam motus sufficit illius principium externum esse; sed requiritur  
præterea vt eidem res mota obnitatur.

Capitis

Text. 3